This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Digitized by Google

UNIVERSITEITSBIBLIOTHEEK GENT
67896
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Phil 408 H bis

TRACTATUS

DE

Logica.

MECHLINIÆ,

1819.

Digitized by Google

ii. 408 H 6

TR

Digitized by Google

Phil 408 H his

TRACTATUS

DE

LOGICA.

Digitized by Google

Digitized by Google

TRACTATUS

Phil 408 H bis

DE

LOGICA

IN SCHOLIS PHILOSOPHIÆ LOVANII DICTATUS.

Editio altera correctior.

MECHLINIÆ,
Typis P. J. HANICQ, Typographi Celsiss. Domini
Principis De Méan, Archiep. Mechliniensis.

1819.

Digitized by Google

Digitized by Google

PROLEGOMENON

in Logicam.

1. Sæpe et multis de rebus nos cogitare unicuique compertum est, atque adeo æque planum est nos cogitandi facultate esse præditos. Facultas hæc cogitandi leges a Natura sibi præscriptas habet, quas qui sequitur, a vero non aberrat. Systema seu collectio harum legum perspicue propositarum *Logica objectiva* dicitur; cognitio vero harum legum Logica *subjective sumpta* appellatur.

2. Logica subjective sumpta dividitur in *naturalem* et *artificiosam*. *Naturalis* est confusa cognitio legum recte cogitandi, solo usu et exercitio acquisita; *artificiosa* vero est cognitio distincta earum, studio et industria comparata.

3. Utilitas Logicæ artificiosæ latissime patet: absque ea enim nemo non modo in scientia quacumque profundam solidamque eruditionem obtinere; sed neque in difficilioribus communis vitæ negotiis sat providus cautusque esse potest; cum, qui sola utitur Logica naturali, et minus a frequenti errandi periculo removeatur, et majori prematur difficultate commissum errorem corrigendi.

Digitized by Google

4. In Logica igitur recte cogitandi leges distincte proponendæ sunt, ut, hiscè mediantibus, ad veritatis cognitionem recto tramite pervenire nobis detur. Hinc Logica recte in duas partes distribuitur, in quarum prima recte cogitandi leges maxime universales expenduntur, et in qua cogitationum humanarum indoles breviter, et quantum ad scopum nostrum pertinet, explicatur : in altera proponuntur ea, quæ ad veritatis cognitionem conducere possunt; ut, quibus signis seu indiciis detegatur, quomodo inquirenda, et quomodo inventa cum aliis communicanda.

PARS PRIMA.

De cogitandi legibus maximè universalibus.

5. Omnis nostra cogitatio ad tres diversas classes commode reducitur. Vel enim mens nostra rem aliquam sibi dumtaxat repræsentat, atque in rei sic repræsentatæ contemplatione quodammodo conquiescit, et tunc eam *apprehendere* seu *percipere* dicitur; actus vero ipse *rei apprehensio*, *perceptio* seu *idea* dicitur : ut dum solem quis intuetur. Vel rei ita apprehensæ aliquid per affirmationem addit vel per negationem demit, tuncque mens nostra *judicat*; actus vero iste *judicium* appellatur : ut quando de sole prius apprehenso cogito : *Sol est rotundus*, vel *Sol non est quadratus*. Vel tandem ex facto tali judicio novum quoddam deducit, tuncque *ratiocinatur*; actus autem iste dicitur *ratiocinatio* seu *ratiocinium* : ut dum ex præcedente judicio concludo : *Ergo sol est corpus sphæricum*.

Digitized by Google

6. Cogitata nostra cum aliis quoque communicare oportet, quod absque signis sensibilibus, quorum vices potissimum supplent vocabula, fieri non potest.

Idea seu perceptio exprimitur per *terminum*; judicium, per *propositionem* seu *enuntiationem*; ratiocinium, per *argumentationem*.

COROLLARIUM.

7. Hæc prima pars sponte sua in tres partes inferiores seu sectiones abit. Prima agit de ideis, secunda de judiciis, tertia de ratiociniis : atque in singula parte singulæ operationis natura, proprietates legesque quibus regitur, exponuntur : suis etiam locis inseruntur ea, quæ ad rectum signorum sensibilium usum pertinent.

SECTIO PRIMA.

De Ideis.

CAPUT PRIMUM.

De natura Idearum, illarumque objectis.

8. IDEA est simplex rei repræsentatio in mente facta. Sic dum mihi simpliciter solem repræsento et quasi mente intueor, habeo ideam solis.

9. Objectum ideæ est res quæcumque, per ideam nobis seu menti nostræ repræsentata. Sic objectum ideæ, quæ mihi solem repræsentat, est sol.

Digitized by Google

COROLLARIUM I.

10. Omnis res, de qua cogitari potest, potest quoque nobis per ideam repræsentari, atque adeo objectum idearum nostrarum est omnis res cogitabilis.

COROLLARIUM II.

11. *Nihilum* est illud quod non existit. Nihilum dividitur in *positivum* et *negativum*. Positivum illud est quod non existit, sed tamen existere potest; negativum vero est illud quod non existit, nec existere potest. Hinc nihilum positivum potest esse objectum idearum nostrarum, non vero nihilum negativum.

12. Quæcumque objecto alicui insunt, sive conveniunt, illa dicuntur objecti illius *determinationes*, *characteres* vel etiam *notæ*. Porro notæ vel sunt *constantes* quæ nunquam a re abesse possunt; vel *mutabiles*, quæ abesse vel adesse possunt. Rursus constantium notarum aliæ in re primæ sunt et cæterarum quasi fontes, et *essentiales* vocantur; aliæ vero in essentialibus rationem habent, dicunturque *attributa*. Mutabiles vero vel sunt rebus internæ, et nomine *modorum* veniunt; vel externæ, quæ rei in comparatione ad aliud dumtaxat conveniunt, et vocantur *relationes*. Sic in homine nota essentialis est *ratio*; attributum, *capacitas eruditionis*; modus, *actualis eruditio*; relatio, quod altero homine statura major vel æqualis sit.

COROLLARIUM.

13. Quælibet res cogitabilis per ea, quæ ipsi insunt, distinguitur ab alia, cui ea non insunt; igitur res cogitabiles per notas suas ab invicem distinguuntur, atque ideo ea quæ rei alicui insunt, ejus *notæ* dicuntur.

Digitized by Google

14. Ideæ inter se comparatæ vel quoad modum repræsentationis, vel quoad objectum repræsentatum differunt. Illa differentia *formalis*; hæc *materialis* audit.

CAPUT SECUNDUM.

De formali Idearum differentia.

15. Si qua idea abjectum taliter menti repræsentet, ut illud ejus ope ab omni alio distingui queat, *clara* appellatur: quæ autem hoc non præstat, *obscura* dicitur. Sic omnes habemus ideam claram solis, obscuram vero multarum plantarum, animalium, etc.

COROLLARIUM.

16. Objecta idearum per certas notas distinguuntur; necesse igitur est, ut idea clara aliquo modo eas notas objecti repræsentet, per quas illud ab omni alio distinguitur.

17. Notæ per quas rem cognoscimus et ab omni alio distinguimus, vel exhibentur omnes simul et quasi in confuso, vel una saltem ex eis a reliquis distinguitur. Priori casu idea clara erit *confusa*; in posteriori vero, *distincta*. Sic de coloribus habemus tantum ideam confusam; sed qui in sole v. g. magnitudinem, figuram, distantiam et motum discernit, habet ideam solis distinctam.

COROLLARIUM.

18. Idea distincta objecti complectitur ideas claras aliquarum saltem notarum objecti, et ex eis quasi conflatur. Sic idea distincta solis constat ex ideis claris magnitudinis, figuræ, distantiæ et motus solis, vel aliquarum saltem ex illis.

Digitized by Google

19. Idea distincta dicitur *complete distincta*, si habeantur ideæ claræ omnium notarum, quæ requiruntur ad objectum illud ab omni alio discernendum; si pauciorum, dicitur *incomplete distincta*.

20. Scholion. Qui ideam complete distinctam rei cujusdam habet, terminosque novit notis singulis respondentes, is per accuratam earum enumerationem eam sic aliis explicare potest, ut et illi rem ipsam ab omni alia distinguere valeant. Patet hinc qua sollicitudine Philosophus eniti debeat ad comparandas sibi distinctas rerum ideas.

21. Communiter idea distincta a Logicis subdividitur in *adæquatam* et *inadæquatam*; sed opinione nostra subdivisio hæc confusionem in discentium mente parit, utilitatem vero nullam. Quapropter tyronem, ea omissa, monere sufficiet ipsarum etiam notarum ideas distinctas esse posse, atque quasvis objecti notas in suas iterum notas tamdiu resolvi posse, donec ad notas maxime simplices perveniatur. Hæc animæ operatio, qua objectum aliquod in notas suas dividitur, hæque in ulteriores, donec ad notas maxime simplices perveniatur, *idearum analysis* a Philosophis vocatur, quæ ut cum fructu fiat, notentur sequentes

Leges de formandis ideis claris et distinctis.

LEX PRIMA.

Nec plura objecta, nec plures ejusdem objecti notæ sunt simul contemplandæ, secundum vetus illud: *Pluribus intentus minor est ad singula sensus.*

Digitized by Google

LEX SECUNDA.

Objectum, quod contemplationi objicitur, illico in suas notas resolvatur, et in earum quavis notæ ulteriores investigentur.

LEX TERTIA.

Attentioni, quæ requirit ut mens longiori tempore in uno eodemque objecto contemplando defigatur, omnino assuescendum est, et cavenda opposita præcipitantia, quæ ex naturali quadam levitate vel ex nimia ingenii fiducia oritur.

LEX QUARTA.

Adjuvetur, si necesse est, attentio algebraïcis vel geometricis symbolis, vel brevi in charta annotatione.

LEX QUINTA.

Objectum expendendum in omnes partes vertatur, et comparetur cum aliis aliunde notis, ut quid eis commune, quid diversum, quid cuivis proprium sit, accuratissimè perspiciatur.

CAPUT TERTIUM.

De materiali idearum differentia.

22. Quod tot talesque notas habet, quæ simul sumptæ non nisi uni determinatæ rei convenire possunt, *singulare*, seu, ut vocamus, *individuum* dicitur; idea verò id repræsentans *singularis* audit.

Digitized by Google

COROLLARIUM.

23. Igitur omne quod existit est quid singulare, et idea, illud repræsentans est singularis. Sic idea Ciceronis, libri quem manibus teneo, hujus ædificii, etc., sunt ideæ singulares.

COROLLARIUM.

24. Usu sensuum acquiruntur ideæ singulares.

25. Objectum quod pluribus individuis convenit, *commune* seu *universale* audit; atque idea illud repræsentans *universalis* dicitur. Sic idea *hominis* est universalis; quia de Cicerone, de Cæsare, etc. affirmari potest quod sit homo.

26. *Abstrahere* dicimur, dum mentem nostram a consideratione aliorum objectorum, vel a contemplatione aliarum partium seu notarum ejusdem objecti avocamus, ut eam in unum aliquod objectum, vel in unam ejus partem sive notam attentiùs dirigamus. Sic hominis mecum loquentis solam eruditionem admirans, abstraho ab ejus dignitate, pietate, etc.

27. Sola rerum existentium contemplatione, plures inter eas similitudines deprehendimus, atque eas ad eamdem quamdam classem reducere possumus. Porrò similitudo ea consistit in eo, quod notas quasdam communes habeant: avocando itaque mentem a contemplatione notarum singulis propriarum, solasque notas communes in una quadam idea nobis repræsentando, objectum illius ideæ erit aggregatum illarum notarum communium, et proinde objectum illud conveniet omnibus istis rebus existentibus et proinde pluribus: itaque objectum istius ideæ erit *commune*, et idea illud exhibens *universalis*.

Digitized by Google

Digitized by Google

Tabula porphyrii spectans ad N.os 29, 30 et seq.



Digitized by Google

COROLLARIUM.

28. Igitur per abstractionem mentis ab ideis singularibus ascendimus ad universales; estque hoc unicum medium comparandi nobis ideas universales.

29. Individuorum similitudo classem constituit, quæ *species* vocatur. Species istæ inter se collatæ adhuc in aliquibus similes sunt. Specierum similitudo *genus* dicitur. Generum verò similitudo dicitur *genus superius*. Sic *homo* est species respectu Ciceronis, Cæsaris, Socratis et reliquorum individuorum hominum; nam hi omnes vitam, sensum et rationem communes habent, quæ notæ in idea hominis repræsentantur. Eodem modo *brutum* species est respectu omnium individuorum brutorum. Hominem deinde si cum bruto compares, eos in eo similes deprehendes, quod vitam et sensum communes habeant; quale objectum, scilicet in quo est vita et sensus, *animal* dicitur; igitur *animal* est genus. Animal, id est, vivens sensitivum comparatum cum vivente non sensitivo, v. g. cum *planta*, vitam habet cum ea communem; *vivens* igitur est genus superius quam animal, complectens scilicet viventia sensitiva et non sensitiva.

30. Scholion 1. Genus, quo nullum altius datur, *supremum* vocatur. Illud quod nullum genus infra se habet, *infimum* vel *proximum* dicitur. Reliqua, quæ his intercipiuntur, quorumque unum altero superius est, *subalterna* seu *intermedia* dicuntur. Sic genus hominis supremum est *ens*; infimum seu proximum, est *animal*; subalterna, directè ascendendo, sunt *vivens*, *substantia*, *existens*.

31. Scholion. 2. Genera intermedia respectu superiorum sub quibus continentur, nonnumquam *species*; respectu inferiorum autem, quæ sub se continent, *genera* dicuntur. Tunc autem ad confusionem vitandam ea species, quæ individua solum sub se continet, *species infima* vocatur. Sic *vivens* respectu *substantiæ*

Digitized by Google

est species, respectu verò *animalis* est genus; *animal* est species respectu *viventis*, et genus respectu *hominis*; *homo* autem est species infima.

32. Scholion. 3. Res dicuntur *toto genere* differre, dum neque sub se invicem, neque sub eodem genere proximo continentur. Sic *homo* differt toto genere a *planta*, quia pro genere proximo ille habet *animal*, planta verò *vivens*; dein unum sub altero non continetur.

33. Genera et species, verbo universalia, non existunt extra mentis nostræ conceptum; quidquid enim existit, singulare est: estque hoc ita evidens, ut omnis in contrarium disputatio inanis et futilis sit; ubi enim, quæso, deprehendes aliquem in quo id solum, quod per vocem *homo* exprimitur, vita nimirùm, sensus et ratio, insit, et præterea nihil?

34. Individua, species et genera ita inter se conveniunt, ut simul in notis quibusdam ab invicem differant. Illa nota, vel plures per modum unius consideratæ, per quam individuum ab individuo, species a specie, genus a genere differt, *differentia* dicitur, et prima quidem *individualis* seu, ut aliqui volunt, *numerica*; secunda *specifica*; ultima autem *generica*. Differentiam individualem inter homines constituunt unum vel plura ex his:

Forma, figura, locus, tempus, stirps, patria, nomen;

vel quandoque omnia simul sumpta. Differentia specifica inter homines et bruta est *ratio*, generica inter animal et plantam est *sensus*.

35. Scholion. Licet nota, per quam differentia unius rei ab altera constituitur, isti rei essentialis sit, est tamen modus respectu speciei aut generis ejusdem rei. Sic *ratio* est essentialis respectu hominis, et modus respectu animalis in genere. *Sensus* essentialis est animali, sed est modus respectus viventis in genere.

36.

Digitized by Google

36. In qualibet idea universali duo sunt quæ attentionem merentur, nimirùm *extensio* et *comprehensio*. *Comprehensionem* constituunt notæ omnes collectivè sumptæ, quæ per ideam repræsentantur; *extensionem* autem omnia individua quibus notæ istæ repræsentatæ conveniunt, quæ idcirco etiam sub idea universali *contineri*, *includi*, atque ejus *subjecta* dicuntur. Sic ideæ universalis *homo*, subjecta sunt Cæsar, Cicero, Socrates, et quævis individua humana.

37. Contingit frequenter, ut ideam universalem secundùm partem tantùm suæ extensionis usurpemus, ad quod indicandum utimur particula *aliquis* vel alia æquivalente: atque idea hoc modo accepta *particularis* audit; ut dum cogito *aliquis homo*, ideam habeo particularem.

38. Comprehensio et extensio inter se comparatæ talis sunt naturæ, ut, una aucta, minuatur altera, et vicissim. Sic in idea *animalis*, quæ vitam et sensum repræsentat, si augeatur comprehensio, adjiciendo nimirùm notam *ratio*, minuitur extensio; nam hæ notæ *vita*, *sensus* et *ratio* solum hominibus, non autem belluis, quæ ad extensionem ideæ animalis spectabant, conveniunt. Item si in idea *homo* minuatur comprehensio, rejiciendo notam *ratio*, augetur extensio; nam vita et sensus non solum hominibus, sed etiam belluis conveniunt.

COROLLARIUM I.

39. Quo objectum ideæ pluribus convenit, eo magis universalis dicitur, et consequenter quo ideæ comprehensio minor est, eo magis illa est universalis.

Digitized by Google

COROLLARIUM II.

40. Comprehensio speciei minor est comprehensione singuli individui, et major comprehensione generis.

41. Scholion. 1. Quæ numeris 39 et 40 de generibus et speciebus dicta sunt, intelligenda veniunt de generibus et speciebus ejusdem seriei.

42. Scholion 2. Quo in idea pauciores notæ repræsentantur, eo illæ faciliùs expenduntur. Patet igitur ideas generum et specierum proferendis humanæ cognitionis limitibus multum inservire.

43. *Compositio* opponitur *abstractioni*, atque nihil aliud est, quam comprehensionis ideæ ampliatio, seu novarum notarum adjectio.

COROLLARIUM.

44. Ergo compositione minuitur ideæ extensio.

45. Si objecto universali tot talesque notæ adjiciantur, ut eæ omnes simul sumptæ non nisi uni cuidam rei convenire possint, objectum redditur singulare, et idea illud repræsentans *singularis* fit. Sic ex objecto universali *homo*, quod menti obversatur, per continuam notarum additionem mente factam, v. g. existentiæ, ætatis qua vixit, loci, juris civitatis romanæ, consulatus romani, principatus eloquentiæ, etc. efficio objectum singulare *Cicero*. Unde per compositionem mentis ab ideis universalibus quasi descendimus et remeamus ad ideas singulares. Hinc compositio est via altera obtinendi ideas singulares; quamquam fatendum est rarò hac via ad ideas singulares nos pervenire.

46. Quidquid rei denominationem aliquam tribuit, id a Philosophis *forma* dicitur; res autem illa quæ denominationem accipit, *subjectum* vo-

Digitized by Google

catur. Hinc idea etiam dividitur in *concretam* et *abstractam*. Concreta est, quæ notam seu formam repræsentat ut inexistentem subjecto; abstracta verò, quæ formam sine subjecto, cui insit, repræsentat. Sic idea *hominis docti* est concreta, *doctrinæ* verò, abstracta.

47. Scholion. Stricte loquendo omnis idea quæ conjuncta separatim exhibet, abstracta est; quandoquidem abstractione comparetur. Et sic omnes ideæ universales abstractæ sunt; imo eo sensu idea *hominis docti* abstracta foret: verum, æquivocationis vitandæ causa, quotiescumque in decursu de idea abstracta nobis mentio erit, illam intelligas, quæ formam sine subjecto, cui insit, repræsentat.

48. Objectum, cui plures conveniunt notæ, *complexum* seu *compositum* est; cui vero unica nota convenit, *simplex* dicitur: unde idea in *simplicem* et *complexam* abit. *Complexa* est quæ plures notas ut eidem objecto inexistentes distincte repræsentat: *simplex* vero, quæ nonnisi unicam, vel plures quidem, sed confuse et per modum unius, repræsentat. Sic idea *hominis docti*, *globi albi*, etc. complexa est; simplex autem, qualiscumque idea *entis* et omnes aliarum rerum ideæ confusæ.

49. Scholion. In usu idearum de quibus hoc capite tractatum est, graviores nonnunquam subrepunt errores, quos, ut facilius evites, proderunt sequentes

Leges de usu idearum singularium, universalium, abstractarum et concretarum.

LEX PRIMA.

Ideis singularibus quas per compositionem mentis efformamus, non semper respondet objectum

Digitized by Google

reipsa existens: unde ex eo solum, quod rei alicujus ideam singularem habeam, inferre nequeo eam realiter existere. Sic concipio montem aureum in Armenia situm; hic tamen nusquam existit.

LEX SECUNDA.

Nulla forma existit sine subjecto, cui insit: idea autem abstracta repræsentat formam sine subjecto, cui insit; ergo ejus quoque objectum ita realiter non existit, prout repræsentatur. Sic non existit rotunditas sine corpore rotundo, numerus sine re numerata, ac universim nulla forma sine suo subjecto, qua in re veteres Philosophi admodum hallucinati sunt.

LEX TERTIA.

Ideæ abstractæ de se mutuo nequaquam affirmari possunt, cum quælibet idea abstracta sit hæc et non alia. Sic licet cum veritate possim dicere: *hic homo est doctus*, nequeo tamen affirmare: *hæc humanitas est doctrina*. Quod si quandoque contrarium contingere videatur, id inde est, quod idea aliqua abstracta pro concreta usurpetur: ut dum genus affirmatur de specie, v. g. dum dico: *temperantia est virtus*.

LEX QUARTA.

Neque rei qualitates de re ipsa affirmari possunt abstractim. Sic non recte dicitur: *lac est albedo*; sed recte: *lac est album*. Si tamen subjecto tribuatur qualitas quædam in summo gradu, id fieri potest; sed tunc adjicitur particula *ipsa*. Sic de Cicerone dicitur *quod fuerit ipsa eloquentia*, id est, summe eloquens; de summe turpi dicitur quod sit *ipsa turpitudo*. Hinc sequitur omnia attributa divina de Deo recte abstractim affirmari posse, cum omnia ei in summo gradu conveniant.

Digitized by Google

LEX QUINTA.

Ut rectus cogitationum nostrarum ordo habeatur, a quo omnis in litterarum studio progressus et doctrinæ soliditas pendet, ordinentur ideæ in mente secundum majorem illarum universalitatem, id est, prior locus detur semper ei qui majorem habet extensionem, illique succedat idea minoris extensionis. Sic *vivens* ante *animal*, et *animal* ante *hominem* concipiatur.

CAPUT QUARTUM.

De idearum signis.

50. *Signum* generatim illud est, quod prius cognitum ducere nos potest in cognitionem alterius. Sic fumus est signum ignis alicubi latentis. Hinc omne id, quo ideæ vel cogitata nostra alteri innotescere possunt, illorum signum est: et idearum quidem signa præcipua sunt vocabula seu soni articulata voce prolati, quibus ideas mente conceptas significamus. Apud Logicos vocabula etiam vocantur *termini*.

COROLLARIUM I.

51. Vocabula sunt signa idearum quas loquens habet in mente, et nullatenus earum quas audiens in mente habet.

COROLLARIUM II.

52. Ideæ res ipsas repræsentant; igitur termini mediantibus ideis res ipsas quoque secundario repræsentant.

Digitized by Google

53. Scholion. 1. Patet id ex quotidiana sermonis consuetudine; etenim dum aliquem sermocinantem audimus, jure quodam exigimus ut ille et rebus ipsis et suæ menti congruenter loquatur; eumque qui in priori deficit, ignorantiæ; qui in posteriori, mendacii reum agimus.

54. Scholion. 2. Quod vero ad primam vocabulorum originem attinet, nos illam ei deberi putamus qui nos ad communem vitæ societatem condidit: eorum vero vocabulorum, quæ progressu temporis obtinuerunt, significationem, ab arbitraria et libera prorsus populorum institutione et retentione provenire.

55. Termini pro diversitate idearum quas denotant, in diversas classes abeunt: est nimirum terminus vel *singularis*, ut *Cicero*, *hic homo*; vel *universalis*, ut *homo*; vel *particularis*, ut *aliquis homo*. Universalis vel est *genericus*, ut *animal*: vel *specificus*, ut *homo*: vel est *concretus*, ut *doctus*; vel *abstractus*, ut *doctrina*: vel est *simplex*, ut *Deus*, *homo*, et omnis qui unico constat vocabulo; vel *complexus*, ut *homo doctus*, *animal rationale*, et omnis qui pluribus constat vocabulis.

56. Scholion. Terminum unico constantem vocabulo esse simplicem, complexum vero qui pluribus constat vocabulis, inter omnes Logicos satis convenit; sed non omnes ea recte conciliant cum data a se ideæ simplicis et complexæ notione. Ea apte congruere cum datis a nobis illarum definitionibus, videbit quisquis ea tantum inter se contulerit: cum enim singulo vocabulo singula idea respondeat, si pluribus vocabulis constat terminus, palam est in idea respondente plura distincte repræsentari, adeoque illam ideam complexam esse: unico autem vocabulo non nisi idea simplex exterius manifestari potest; ut enim idea complexa, quæ semper plura distincte exhibet, exterius declaretur, notæ singulæ quæ in objecto distinguitur singulum vocabulum exterius respondere debet.

57. Terminus quilibet duas menti ideas ingenerat, unam sui ipsius quatenus est sonus articulatus, et

Digitized by Google

alteram rei quam significat. Si primo modo spectetur, sumitur *materialiter*, ut dum dico: *Cicero est vox trium syllabarum.* Si altero, accipitur *formaliter*, ut dum dico: *Cicero est princeps Oratorum.*

58. Scholion. Terminum accipi materialiter agnosces, si, salvo sensu, præfigere valeas unam ex his particulis *vox, terminus*, *vocabulum*, etc. Unam etiam ex his in scribendo præfigimus, cum terminum aliquem materialiter accipi volumus, vel saltem eum sublineamus, aut aliis characteribus distinguimus. Hæc duo posteriora usui etiam sunt, dum terminus aliquis singularem attentionem meretur.

59. Terminus formaliter acceptus vel denotat aliquam reipsa ideam, et *positivus* dicitur, ut *res*, *homo*, *Cicero*, etc.; vel absentiam alicujus ideæ, et *negativus* audit, ut *nihil*, *ignorantia*, *tenebræ*; vel tandem nihil ullo modo significat, et *inanis* vocatur, ut *circulus quadratus.*

60. Scholion. Termino inani illi tantum utuntur qui cum ideam quampiam sibi habere videntur, reipsa nullam habent; apparentem tamen illam ideam, quam Wolfius propterea *fallacem* seu *deceptricem* appellat, aliquo vocabulo exprimere nituntur.

61. Terminus qui constanter eamdem invariatam rem denotat, *fixus*; qui vero nunc hanc, nunc illam significat, *vagus* vel *æquivocus* dicitur. Sic fixi sunt termini *homo*, *animal*; æquivoci vero sunt *liber*, *cancer*, *calx.*

62. Terminus æquivocus vel casui vel consilio suam debet originem. *Casu* æquivocus est, dum multiplicis significationis ratio nulla reperiri potest, præter merum arbitrium primorum linguarum institutorum, ut, *Gallus*, *calx*, *liber*, etc. *Consilio* æquivocus est, dum res diversæ, quibus idem terminus tribuitur, aliquam inter se similitudinem vel analogiam habent, unde etiam in specie terminus

Digitized by Google

hic vocatur *analogus*, ut *ardens* qui de corpore ignito et de homine irato propter similitudinem agitationis dicitur; tales quoque sunt voces *caput*, *pes*, etc.

63. Terminus quandoque per errorem fit æquivocus; dum nempe ad unam quamdam rem significandam a pluribus quidem assumitur, reipsa tamen res diversas, denotat, idque ob erroneam de natura rei significandæ opinionem, qua illi, qui hoc vocabulo utuntur, imbuti sunt. Exemplo sit vox *Deus*, usurpata ab indololatra, a spinosista et a nobis.

CAPUT QUINTUM.

De definitione.

64. Qui ideam complete distinctam rei cujusdam habet, terminosque novit notis singulis respondentes, is per accuratam notarum ejus enumerationem eam sic aliis explicare potest, ut hi pariter eam ab omni alia discernere valeant, et termino correspondenti dictam ideam connectant (20). Hoc si præstet, rem illam, item terminum *definire* dicitur. *Definitio* itaque est oratio ideam complete distinctam termino cuidam respondentem exponens. Ipse autem terminus, item res per terminum significata, *definitum* appellatur. Sic *Scientia quæ propositis perspicue legibus cogitandi facultatem in operationibus suis dirigit*, est definitio; definitum autem est terminus *Logica*, item *ipsa Logica*.

65. Omnis igitur definitio explicat tum significationem termini, tum naturam rei per eum indigitatæ.

Digitized by Google

66. Hoc non attenderunt illi qui definitionem dividunt in definitionem *nominis* et *rei*. Definitionem rei eam vocant quæ naturam rei exponit; nominis vero, quæ vocabuli alicujus significationem explicat. Magis errant, qui cum veteribus existimant per definitiones reales realem seu physicam rei per ideam repræsentatæ naturam aut essentiam significari; physica siquidem rerum essentia non in una aut altera proprietate per quam res ab omni alia distinguitur, sed in reali et integra omnium proprietatum collectione consistit, quæ nobis ut plurimum est incognita.

67. Potest res ab omni alia distingui, adeoque etiam definiri, si modus et causa, quibus res generari potest, distincte proponantur; ut dum dicis: *Si linea quædam recta, in uno extremo fixa, circumducatur, spatium a linea isto percursum, circulus erit;* circuli definitionem dedisti. Definitiones ejusmodi speciali nomine *geneticæ* dicuntur.

68. Res per essentialia et attributa semper, per modos vero et relationes pro aliquo tantum tempore ab aliis discerni potest. Cum igitur in definitione notæ, per quas res ab omni alia semper differt, enumerandæ sint, evidens erit quamlibet definitionem fieri debere vel per essentialia vel per attributa, modos vero et relationes definitionem ingredi non posse. Definitio in qua notæ rei essentiales enumerantur, dicitur *essentialis;* ut hæc: *Homo est animal ratione præditum.* Illa in qua rei attributa recensentur, *accidentalis* audit; ut hæc: *Homo est animal capax eruditionis.*

69. Genera et species definimus, quia in iis essentialia et attributa ut plurimum discernere valemus: cum vero id in rebus singularibus, quinimo in quibusdam speciebus præstare nequea-

Digitized by Google

mus, eas describimus, hoc est, quam plurimas earum notas accumulamus, quibus saltem pro aliquo tempore ab aliis rebus distingui valeant. Sic Historici provincias, urbes, facta etiam particularia, longa singularum partium, proprietatum, affectionum et circumstantiarum enumeratione depingunt. Eodem modo Physici instrumenta describunt; Judices quoque in litteris quibus reum fugitivum persequuntur, ejusmodi definitiones adhibent, dum externum ejus habitum, staturam, etc. enumerant.

70 Restat ut examinentur ea quæ ad bonam definitionem requiruntur; quapropter sequuntur

Leges bonæ definitionis.

LEX PRIMA.

Definitio sit clarior suo definito. Cum enim definitio sit quædam declaratio definiti, si magis vel æque obscura foret ac res quæ explicanda est, finem suum non obtineret. Contra hanc legem peccant plures definitiones Aristotelis; ut definitio motus, quæ ob suam obscuritatem celèbris evasit: *Actus entis in potentia, quatenus in potentia;* in qua notio quæ formatur ad auditum vocis *motus,* plus obscuratur quam illustratur.

Ex hac regula sequitur:

1.° Nihil esse definiendum quod clarius et apertius reddi non potest, ut *existentia*, *affirmatio*, etc.

2.° Definitum non posse ingredi definitionem; quia tum pro parte explicaretur idem per idem. Sic vitiosa est hæc: *Quantitas* est *accidens a quo res dicitur quanta.* Item *Logica* est *scientia quæ tradit regulas Logices.*

Digitized by Google

3.°. In definitione non posse poni terminum, qui iterum per ipsum definitum definiri debeat; sic enim definitum deberet agnosci per illud quod iterum per ipsum definitum agnoscendum foret; ut si dicas: *Naturalis effectus est qui contingit absque miraculo:* et postea dicas: *miraculum est effectus non naturalis.* Vitium hoc vocatur *circulus in definiendo.*

4.° Nihil posse definiri per terminos ambiguos, obscuros, aut prorsus inanes; ex quo capite peccat supracitata definitio *motus.*

5.° Non esse enumerandas notas auditoribus incognitas, ut si Geometriæ imperito dicas: *Hypotenusa est illa trianguli rectanguli linea, cujus quadratum æquatur quadratis cathetorum simul sumptis.* Verum quidem est hanc obscuritatem dumtaxat relativam esse; quantum tamen fieri potest, evitanda est, loquimur enim ut intelligamur ab iis, qui nos audiunt.

LEX SECUNDA.

Definitio sit universalis; hoc est, toti definito convenire debet. Contra hanc legem peccat sequens: *Homo est animal ratione et doctrina præditum.*

LEX TERTIA.

Definitio sit propria; hoc est, soli definito conveniat, ut definitum ab omni alia re sufficienter distinguatur. Contra hanc regulam peccat sequens: *Angelus est substantia spiritualis.*

71. Per secundam et tertiam legem definitio redditur convertibilis cum suo definito, ita ut definitio et definitum sibi mutuo substitui possint, quin sensus mutetur aut veritas lædatur. Sic idem est sive dicas: *Logicæ do operam;* sive: *operam do scientiæ, quæ leges recte cogitandi distincte proponit.*

Digitized by Google

LEX QUARTA.

Definitio nihil superflui contineat. Inutiliter enim gravaretur memoria, et confusio inde nasceretur. Hinc definitio hominis : *animal rationale*, melior est quam hæc : *animal vivens, mortale; rationale*

LEX QUINTA.

Definitio non sit negativa. Hac enim ratione non declararetur idea termino respondens, sed solummodo indicaretur quæ idea termino illi subjecta non sit. Ut si dicas : *Logica non est scientia quæ tradit regulas honesti.* Duobus tamen casibus lex hæc exceptionem patitur :

1.° Quando affirmativa definitio in potestate non est. 2.° Quando duo adsunt quæ contradictorie sibi opponuntur; tum enim altero eorum jam affirmative definito, alterum recte negative definitur; quia constat satis quid res sit, cum oppositi per definitionem præmissam jam cogniti definitio de eadem negatur. Sic ubi *impossibile* definieris : *id quod in notis essentialibus contradictionem involvit*: satis patebit quid sit *possibile* priori oppositum, si de eodem prior definitio negatur dicendo : *possibile est id quod in notis essentialibus contradictionem non involvit.*

72. Tandem in condendis definitionibus præter præfatas leges observa, si aliquomodo possis, illud Ciceronis : *Definitio constet genere proximo et differentia ultima.* Imprimis enim per has notas res distinguitur ab omni alia re; nimirum per genus proximum ab omni re quæ sub eodem genere non continetur; per differentiam vero ultimam ab omni alia re quæ sub eodem genere continetur. Insuper per ejusmodi definitiones res definiendæ ad sua

Digitized by Google

genera et species distincte reducuntur : sic optimam condis hominis definitionem dicens : *Homo est animal rationale.*

73. Ingens est definitionis recte adhibitæ utilitas. Imprimis enim per eam terminorum significatio figitur, tolliturque adeo obscuritas et æquivocatio vocabulorum, atque inde variæ vitantur altercationes, ex ambiguitate sequi solitæ, quas *lites de nomine* (*logomachies*) passim vocant. Est et altera definitionis utilitas in omni disciplina latissime patens, nempe quod locum principii in demonstrationibus teneat, seu prima præbeat ratiocinandi principia, ut inde deducantur, quæ de rebus cognosci possunt; nam ubi natura idealis per definitionem stabilita est, variæ inde consecutiones deducuntur et veritates deteguntur, quarum omnium collectio perfectam completamque scientiam, in una hac definitione tanquam fundamento innixam, constituit. Notandum tamen, omnia quæ deducta fuere ei tantum rei convenire, cui definitionem convenire comprobatum est, et omnia corruere quamprimum demonstratur definitioni illi ideam tantum correspondere deceptricem.

CAPUT SEXTUM.

De divisione.

74. *Divisio* est totius in suas partes distributio; ut divisio animalis in hominem et brutum : item divisio globi terraquei in Europam, Asiam, Africam et Americam.

Totum quod in suas partes distribuitur vocatur *divisum*; et partes in quas dividitur, *membra dividentia.*

75. Idem divisum sub diverso respectu consideratum varie quandoque distribui potest. Id si

Digitized by Google

fiat, habentur *condivisiones*. Sic idea, respectu habito ad modum repræsentandi, dividitur in *claram* et *obscuram*; ratione vero objecti repræsentati, in *universalem*, *particularem* et *singularem*.

76. Quod si divisionis membrum rursus in alia distribuatur, oritur *subdivisio*; quæ quandoque diutius continuari potest. Sic idea *clara* rursus dividitur in *distinctam* et *confusam*; distincta verò, in *complete* et in *incomplete distinctam*.

77. Scholion. Summa est divisionis utilitas; nunquam enim res ipsa melius noscitur, quam si singulæ ejus partes attenta meditatione perlustrentur: profecto inde fit, ut mens nostra clare et distincte perspiciat id in singulis partibus, quod in objecto integro propter nimiam ejus compositionem obscure tantum aut confuse intueri posset; Frequentissime igitur divisione utendum est; ut porro hæc nobis commoda adferat, observandæ sunt sequentes

Leges divisionis.

LEX PRIMA.

78. *Divisio sit brevis*. Nimia enim partium quam plurimarum enumeratio ita repente mentem obruit, ut claritatis loco quæ unice per divisionem quæritur, magna obscuritas et confusio oriatur.

LEX SECUNDA.

Divisio sit adæquata; ita ut omnia membra dividentia simul sumpta adæquent divisum. Contra hanc regulam peccat divisio hominis in doctum et stupidum, cum inter illos detur medium; siquidem dentur homines qui neque reputantur docti, neque etiam ut stupidi absolute haberi possunt.

Digitized by Google

Membra dividentia sint inter se condistincta; id est, nullum contineatur sub altero. Contra hanc regulam peccat divisio globi terraquei in Europam, Galliam, Asiam, Africam et Americam; Europa enim continet Galliam. Vitio porro huic facile medemur per subdivisiones; scilicet distributio primo facienda est in membra maxime generalia; tum vero quum ad quodvis eorum ventum fuerit, evolvenda sunt ea, quæ in illo includuntur. Sic dividatur primum globus terraqueus in Europam, Asiam, Africam et Americam : tum Europa in Italiam, Galliam, Germaniam, Hollandiam, etc. : rursus Gallia in suas provincias; idemque fiat de aliis majoribus Europæ partibus.

SECTIO SECUNDA.

De judicio.

CAPUT PRIMUM.

De natura judicii et propositionis.

79. Dum mens, collatis duabus ideis, comprehensionem unius in comprehensione alterius contineri aut ab ea excludi deprehendit, ac propterea eas inter se convenire annuit vel abnuit, *judicare* dicitur. *Judicium* proinde est actus mentis quo unam ideam de altera affirmat vel negat; ut dum intra me cogito : *anima humana est spiritus;* vel : *anima humana non est corpus;* utrumque judicium est ; primum quidem *affirmativum*, secundum vero *negativum*.

Digitized by Google

COROLLARIUM.

80. Igitur tria ad omne judicium requiruntur; 1.° duæ ideæ, quæ inter se per affirmationem conjungendæ sunt, vel per negationem separandæ; quarum illa de qua aliquid affirmatur vel negatur, *subjectum*; altera vero *prædicatum* audit: 2.° perceptio convenientiæ vel disconvenientiæ illarum idearum: et tandem 3.° assensus perceptæ idearum convenientiæ vel disconvenientiæ.

81. Oratio internum judicium exprimens *propositio* vel *enuntiatio* dicitur. Quid jam propositionis *subjectum*, quid *prædicatum*; quid *propositio affirmativa*, quid *negativa* sit, ex dictis facile colliges.

82. Præter subjectum et prædicatum intervenit in propositione verbum, quo assensus eorum convenientiæ vel disconvenientiæ hic et nunc præstitus, exhibetur. Hoc verbum, quod est verbum substantivum *sum*, et quidem in præsenti tantum tempore, *copulam* vocant. Hæc subinde omissa subintelligitur; quandoque in apposito verbo latet; ut si dicam: *mens cogitat*, resolvi debet: *mens est cogitans*. Idem quandoque de subjecto et prædicato notandum venit: ut dum dico; *cogito*, id est, *ego sum cogitans*.

CAPUT SECUNDUM.

De variis propositionum speciebus.

83. Propositio cujus subjectum aut prædicatum est terminus complexus, vocatur *complexa*; alioquin *pura* dicitur. Sic pura est hæc: *Homo est animal*; complexa vero sequens: *Mens humana, natura sua immortalis, est appetens bonorum æternorum, quæ sola ejus desiderium satiare valent.*

Digitized by Google

valent. Ea quæ in subjectum vel prædicatum cadunt, vocantur illorum *affectiones* seu *incidentia.* Sic in ultima allata propositione affectiones subjecti sunt *humana, natura sua immortalis;* prædicati vero, ea omnia quæ sequuntur vocem *appetens.*

COROLLARIUM.

84. Ergo propositionibus complexis annumerandæ sunt illæ, in quibus præter simplicem extremorum convenientiam vel disconvenientiam, insuper eorum existentia in certa temporis differentia importatur. Sic in hac : *Joannes erit doctus;* sensus est : *Joannes est ille, qui erit doctus;* in qua verbum *est*, ut abstrahens ab omni tempore et solam affirmationem exprimens, copulam agit; *qui erit doctus* est affectio prædicati ipsam temporis differentiam denotans.

85. Propositio ulterius dividitur in *simplicem* et *compositam.* Composita est, quæ in plures resolvi potest, qualis est hæc : *Deus est omnipotens et omniscius;* simplex est, quæ in plures resolvi non potest, ut : *Deus est omnipotens.*

86. Propositionum compositarum duæ sunt species, scilicet alia est *explicite composita*, in qua compositio clare patet; alia est *implicite composita,* in qua compositio est obscurior, quæ propterea expositione indiget, unde et *exponibilis* vocatur.

87. Propositio explicite composita, quatenus ad usum nostrum pertinet, præsertim est quadruplex, scilicet : *conditionalis, disjunctiva, copulativa* et *causalis.*

88. *Conditionalis* vel *hypothetica* propositio dicitur, quæ prædicatum de subjecto sub quadam conditione per particulam *si* aut aliam æquivalentem expressa affirmat vel negat; ut cum dico : *Si anima rationalis est simplex, ea est incorrup-*

Digitized by Google

tibilis; cujus prima pars *conditio* vel *antecedens* vocatur; altera vero, *conditionatum* seu *consequens*.

89. Scholion. Propositio simplex, quatenus spectatur ut opposita conditionali, dicitur *absoluta* seu *categorica*. Talis est hæc : *Anima humana est incorruptibilis*.

90. *Disjunctiva* seu *disjuncta* illa dicitur, in qua per particulam *vel, sive*, etc., plura subjecta aut prædicata colligantur; ut in hac : *Notæ objectorum sunt constantes vel mutabiles*.

91. Disjunctiva *completa* est, quando inter membra enumerata nullum datur medium : talis est mox assignata. Disjunctiva *incompleta* est, quando medium datur; ut in hac : *Vel anima humana perit cum corpore, vel post mortem corporis est beata*.

92. *Copulativa* est propositio, in qua plura subjecta vel prædicata per particulam *et*, *nec*, etc., conjunguntur vel separantur; ut hæc : *Intellectus et voluntas sunt facultates animæ humanæ*.

93. *Causalis* est propositio, in qua ratio cur prædicatum subjecto conveniat vel repugnet, effertur per particulam *quia*, aut aliam æquivalentem; ut : *Anima rationalis est incorruptibilis, quia non constat partibus*. Quæ propositio hunc sensum facit : *Anima rationalis est incorruptibilis et non constat partibus, et quidem ideo est incorruptibilis, quia non constat partibus*. Causalis igitur æquivalet copulativæ, in qua ratio allegata *causalitas* vocari solet.

94. Ad *copulativas* quoque reducuntur propositiones *exponibiles*, quarum præcipuæ sunt :

1°. *Adversativæ* seu *discretivæ*, in quibus significatur oppositio inter partes per particulam *sed*, *tamen*, *quamvis* et similes; ut : *Fortuna opes auferre potest, sed non animam*.

Digitized by Google

2°. *Exclusivæ*, quæ prædicatum ab omnibus aliis a subjecto distinctis, vel de eodem subjecto omnia alia ejusdem rationis cum prædicato removent; ut: *Solus Deus est diligendus propter se*; cujus sensus est: *Deus est diligendus propter se, et nulla alia res est propter se diligenda.* Item: *Joannes est tantùm jurisperitus*; cujus sensus est: *Joannes est jurisperitus, et nullius alterius scientiæ*, v. g. Theologiæ, etc. *est peritus.*

3°. *Exceptivæ*, quarum subjecto vel prædicato adjecta est particula *præter*; ut: *Omnes Philosophorum sectæ, præter platonicam, dixerunt Deum esse corporeum*; cujus sensus est: *Secta platonica non dixit Deum esse corporeum, et omnes aliæ sectæ illud dixerunt.* Item: *Petrus habet omnes virtutes præter temperantiam*; cujus sensus est: *Petrus non habet temperantiam, et omnes reliquas virtutes habet.*

Sæpe tamen particula *præter* non facit sensum exceptivum, quod tunc ex adjunctis discernendum est; ut: *Præter ebrietatem multa alia nocent sanitati*; cujus sensus est: *Ebrietas nocet sanitati, et multa insuper alia nocent sanitati.*

4°. *Comparativæ*, quæ asserunt formam importatam per terminum positivum, competere utrique eorum, inter quæ fit comparatio, sed uni magis vel minus vel æquè ac alteri; ut: *Virtus est pretiosior auro*; cujus sensus est: *Virtus est pretiosa et aurum est pretiosum, sed virtus tamen pretiosior.*

Attamen sæpe ejusmodi propositiones comparativæ sunt impropriæ; ut dum dicitur: *Meliora sunt vulnera amici, quam fraudulenta oscula inimici.* Item: *Melius est habitare cum dracone, quam cum muliere litigiosa.*

Digitized by Google

5°. *Reduplicativæ*, quæ continent particulam *qua*, *quatenus*, etc; ut: *Homo, qua rationalis, argumentatur;* cujus sensus est: *Homo est rationalis et argumentatur, et ratio illud est, cujus ope argumentatur.* Quandoque tamen illæ particulæ alium sensum faciunt; ut: *Justus, qua justus, peccat leviter;* quæ hunc in modum exponenda est: *Potest aliquis justus esse, et tamen leviter peccare.*

6°. *Modales*, in quibus enuntiatur modus quo prædicatum convenit vel repugnat subjecto; ut: *Circulus est necessariò rotundus*, cujus sensus est: *Circulus est rotundus, et necessarium hoc est.* Modi autem illi sunt potissimùm quatuor, scilicet: *necesse*, *contingens*, *possibile* et *impossibile.*

CAPUT TERTIUM.

De enuntiationum proprietatibus.

95. Proprietates enuntiationum hic enumerandæ, sunt: *qualitas*, *quantitas*, *relatio*, *veritas* et *falsitas;* de quibus ordine.

96. *Qualitas* propositionis est ejusdem affirmatio vel negatio; est autem omnis propositio, uti et judicium, vel affirmativa vel negativa; prout scilicet ea judicium affirmans vel negans exprimit; ut: *Anima humana est spiritus. Anima humana non est corpus.*

97. In judicio negativo affirmatur repugnantia inter prædicatum et subjectum, sive, quod idem est, negatur convenientia inter prædicatum et subjectum. Cùm igitur copula denotet assensum convenientiæ præstitum, non potest assensus repugnantiæ præstitus aliter indicari quam negando

Digitized by Google

copulam. Unde ad hoc, ut propositio judicium negativum exprimat, seu ut ipsa negativa sit, requiritur ut particula negans apertè vel implicitè ad copulam referatur; ut in sequentibus: *Anima humana non est corpus. Nullus homo caret defectu.*

COROLLARIUM.

98. Ergo propositio, in qua particula negativa non ad copulam, sed ad alterutrum terminum refertur, est affirmativa, quantumvis negativa appareat; ut si dicam: *Non accepisse detrimentum sæpe lucro apponendum est.*

99. Negatio quæ afficit copulam dicitur *negans*; illa verò quæ alterutrum terminum afficit, *infinitans* vocatur. Quod si dubium oriatur an particula illa sit negans an infinitans, attendendum est ad circumstantias in quibus propositio prolata est. Quod si circumstantiæ nihil determinent, standum est pro negatione negante, cùm hæc sit magis obvia.

100. In propositione affirmativa asseritur quod tota comprehensio prædicati contineatur sub comprehensione subjecti, atque adeo quod comprehensio subjecti major sit vel saltem æqualis comprehensioni prædicati. Posteriori casu extensio subjecti æqualis est extensioni prædicati, et talis propositio speciatim *identica* dicitur; quales inter alias sunt omnes, in quibus definitio affirmatur de definito. In aliis extensio subjecti minor asseritur extensione prædicati, seu partem ejus facere, adeoque prædicatum sumitur particulariter; ut cùm dicis: *Homo est animal*; sensus est: *Homo est aliquod animal.*

101. In propositione negativa negatur quod comprehensio prædicati contineatur sub compre-

Digitized by Google

hensione subjecti, adeoque asseritur quod extensio, quam subjectum in illa propositione habet, non contineatur sub extensione prædicati, seu quod nullam ejus partem faciat: igitur prædicatum in ea sumitur universaliter. Sic cùm ais: *Voluptas non est virtus*; sensum facis: *Voluptas nulla omninò est virtus.*

102. Scholion. Ut comprehensio prædicati non contineatur sub comprehensione subjecti, necesse non est, ut nulla omninò prædicati nota in subjecto contineatur, sed sufficit si una prædicati nota a comprehensione subjecti excludatur.

103. *Quantitas* propositionis a quantitate subjecti pendet: et prout illud ratione quantitatis vel est universale vel particulare vel singulare, ita quoque propositio, ratione suæ quantitatis, in hanc triplicem classem distribuitur.

104. *Universalis* propositio est ea, in qua subjectum, quod de se ideam universalem denotat, secundùm totam suam extensionem sumitur, ita ut prædicatum singulis individuis sub subjecto contentis, etiam seorsim sumptis, conveniat vel repugnet, id quod denotant particulæ *omnis*, *nullus*, etc. subjecto præfixæ; quæ propterea *notæ universalitatis* audiunt; ut: *Omnis virtus est appetenda. Nullum vitium est honestum.*

105. Scholion. Hujusmodi propositiones dicuntur *completè universales*, ut distinguantur ab iis, in quibus prædicatum non singulis omninò subjecti individuis convenit, et quæ ideò *incompletè universales* dicuntur, quales sunt:

1.° In quibus prædicatum tantum de singulis subjecti speciebus affirmatur, ut si dicas: *Omne animal fuit in arcâ Noë.* In his subjectum distribui dicitur *pro generibus singulorum tantum.*

2.° *Moraliter universales*; quando enuntians propositionem cæteroquin universalem, non ita stricte vult

Digitized by Google

intelligi ut prædicatum singulis simpliciter subjecti individuis attribuatur, quin unum vel alterum inde excipi possit. Sic dum dicimus : *Omnes homines sua solummodo commoda quærunt;* non volumus significare nullum prorsus hominem ab hoc vitio esse immunem, sed tantum de plerisque id dici posse. Porro ex circumstantiis determinandum est an propositio, quæ universaliter enuntiatur, complete an moraliter sit accipienda.

3.° Incomplete universalis est quoque propositio, in qua subjectum accipitur quidem pro omnibus individuis subjecti, sed cum tacita alicujus exceptione, quæ per propositionem vel per circumstantias innuitur; ut si dicas : *Omnis homo descendit ab Adamo;* in qua tacite excipitur ipse Adamus, qui non descendit a se ipso. In similibus propositionibus subjectum dicitur distribui *commode*.

106. *Particularis* propositio ea est, in qua subjectum quod de se ideam universalem exprimit, secundum partem tantum suæ extensionis sumitur, ita ut prædicatum non omnibus, sed aliquibus tantum subjecti individuis, seorsim sumptis, conveniat vel repugnet; id quod denotant particulæ *aliquis, quidam, nonnullus*, etc. subjecto præfixæ; quæ hac de causa *notæ particularitatis* appellantur; ut : *Aliqui homines sunt docti.*

107. In propositione particulari, vel illa individua subjecti, quibus prædicatum convenire dicitur, in se determinata sunt vel non : in priori casu, propositio est *determinata*; ut hæc : *Aliqui philosophi negarunt sensationem in brutis.* In posteriori vero, propositio *indeterminata* est et *vaga;* ut hæc : *Aliquis calamus est necessarius ad scribendum.*

108. *Singularis* propositio ea est, cujus subjectum est terminus singularis; ut : *Plato fuit discipulus Socratis.* Item : *Hic homo est doctus.*

109. Particulæ illæ *omnis, nullus*, etc.; *aliquis, quidam*, etc.; *hic, ille*, etc. definiunt pro-

Digitized by Google

positionis quantitatem; unde propositio cujus subjecto aliqua ex his particulis præfixa est, *definita*; cujus vero subjectum, quod de se est terminus communis, tali nota affectum non est, *indefinita* appellatur; ut: *Homines sunt eruditi: Virtus est appetenda;* quæ ad universalem reducitur, nisi factum aliquod exprimat, quo casu ad particularem est reducenda.

110. Scholion. Quandoque particula *omnis* importat totam omnium summam sive collectionem accipi debere; ut: *Omnes Apostoli sunt duodecim. Omnes canonici constituunt capitulum;* quarum sensus est: *Omnes Apostoli simul sumpti sunt duodecim. Collectio omnium canonicorum constituit capitulum.* Verum tum subjectum non distribuitur, sed tantum accipitur *collective*, seu *copulatim*, ut aiunt; neque in illo casu particula *omnis* propositionis universalitatem definit.

111. Duæ propositiones inter se collatæ quandoque tales deprehenduntur, ut una sub altera contineatur, vel una alteri opponatur. Hæc duarum propositionum habitudo earum *relationem* constituit.

112. Propositiones, quarum una sub altera continetur, *subalternæ* dicuntur; ut hæ: *Deus est ens perfectissimum. Deus est omnipotens.* Ea inter illas quæ alteram continet, ut prior, *subalternans;* quæ vero sub altera continetur, ut posterior, *subalternata* vocatur.

COROLLARIUM.

113. Duæ propositiones ejusdem qualitatis, habentes idem subjectum et prædicatum, quarum una est complete universalis, altera particularis vel singularis, sunt subalternæ; et quidem universalis inter eas est subalternans, particularis vero vel singularis, subalternata; ut hæ: *Omnis homo*

Digitized by Google

est ratione præditus. Aliquis homo est ratione præditus. Item hæc : *Nullum vitium est honestum. Hoc vitium non est honestum.*

114. Licet duæ propositiones constantes eodem subjecto et prædicato sola quantitate differant, non propterea subalternis sunt annumerandæ ; fieri enim potest ut nulla earum alteram contineat ; quales sunt hæ : *Aliqui latrones spoliaverunt Petrum. Hic latro spoliavit Petrum.*

115. Propositiones *oppositæ* dicuntur, quarum asserta simul existere nequeunt. Oppositæ, quarum asserta possunt simul non consistere, vocantur *contrariæ ;* quarum vero asserta nequeunt simul non consistere, *contradictoriæ* dicuntur.

COROLLARIUM I.

116. Igitur duæ propositiones singulares, constantes eodem subjecto et prædicato, qualitate differentes, sunt contradictoriæ; ut sequentes: *Petrus est doctus. Petrus non est doctus.*

COROLLARIUM II.

117. Pariter contradictoriæ sunt duæ propositiones constantes eodem subjecto et prædicato, qualitate differentes, quarum una est complete universalis, et altera particularis, modo hæc in singulari numero enuntietur; alias contrariæ forent. Contradictoriæ sunt sequentes: *Omnis homo est ratione præditus. Aliquis homo non est ratione præditus.* Contrariæ vero sunt hæ : *Homo est ratione præditus. Aliqui homines non sunt ratione præditi.*

Digitized by Google

COROLLARIUM III.

118. Duæ propositiones universales, constantes eodem subjecto et prædicato et qualitate differentes, sunt contrariæ; ut hæ : *Omnis homo est rationalis. Nullus homo est rationalis.*

COROLLARIUM IV.

119. Pariter contrariæ sunt duæ propositiones constantes eodem subjecto et prædicato, qualitate differentes, quarum una est complete universalis et altera singularis; ut hæ : *Omnis virtus est appetenda. Hæc virtus non est appetenda.*

120. Duæ propositiones particulares, constantes eodem subjecto et prædicato et qualitate differentes, a Logicis *subcontrariæ* vocantur, ob aliquam speciem oppositionis, quam præ se ferunt; stricte tamen loquendo oppositæ non sunt, cum earum asserta simul esse possint; ut in sequentibus : *Aliqui homines sunt docti. Aliqui homines non sunt docti.*

121. Scholion. Ex dictis palam fit, propositiones quæ differunt sola qualitate, et quæ eodem subjecto et prædicato constant, posse esse contrarias, contradictorias et subcontrarias.

Eas vero quæ, habentes idem subjectum et prædicatum, differunt qualitate et quantitate, esse contradictorias, si earum una id asserat *tantum*, quod requiritur et sufficit ut integrum alterius assertum non subsistat.

Eas vero, quarum una *plus* asserit, quam requiritur et sufficit ut integrum alterius assertum non subsistat, esse contrarias.

Tandem eas, quarum una *minus* asserit quam requiritur et sufficit ut alterius assertum integrum non subsistat, nec esse contrarias nec contradictorias.

Digitized by Google

CAPUT QUARTUM.

De veritate et falsitate propositionum.

122. Veritas, quatenus ad Logicam spectat, est convenientia cogitationis nostræ cum suo objecto; falsitas vero est disconvenientia cogitationis nostræ cum suo objecto.

COROLLARIUM I.

123. Falsitas igitur contradictorie opponitur veritati, atque in ejus negatione consistit.

COROLLARIUM II.

124. Idea vera est, quando notæ quas in objecto suo repræsentat, revera in objecto isto continentur.

COROLLARIUM III.

125. Judicium verum est, quando prædicatum de subjecto affirmatur vel negatur eo modo quo ipsi revera convenit vel repugnat.

126. Scholion. De ideis agentes nihil de earum veritate diximus, eo quod opere pretium non foret ea ibi seorsim tradere quæ hic melius conjunguntur; eo magis quod idea complexa, de cujus veritate permultum inquiritur, a judicio affirmante, et ab ejus veritate haud multum differat.

127. Judicium dicitur *necessario verum* seu, ut aiunt, *versari in materia necessaria*, dum ita verum est, ut simpliciter ac nullo in casu falsum esse possit; ut: *Circulus est rotundus.* Contra *necessario falsum* seu *impossibile* dicitur, cui

Digitized by Google

veritas pro omni casu repugnat; ut : *Circulus est quadratus.* Dum autem veritas judicio sic competit, ut tamen pro aliquo casu sine contradictione falsum esse possit, aut vice versa, illud dicitur *versari in materia contingente*, seu *contingenter verum;* ut : *Mundus existit :* vel *contingenter falsum;* ut : *Tellus est major sole.*

Leges de dijudicanda propositionum compositarum veritate aut falsitate.

LEX PRIMA.

128. Ad veritatem propositionis requiritur ut totum ejus assertum subsistat prout asseritur : quod si vel unum ejus assertum non subsistat prout asseritur, falsa erit. Hinc

1.° Ad veritatem propositionis in materia contingente requiritur non tantum convenientia prædicati cum subjecto, quæ asseritur, sed insuper existentia subjecti pro tempore per verbum importato; qui enim dicit : *Petrus est doctus*, non tantum censetur affirmare doctrinam Petro convenire, sed eam Petro hic et nunc convenire, et proinde Petrum hic et nunc existentiam habere. Propositiones vero in materia necessaria aut impossibili ad sui veritatem non requirunt neque supponunt existentiam subjecti. Sic qui profert hanc propositionem : *Circulus est rotundus*, non dicit existere circulum, sed solummodo rotunditatem unam esse ex notis quæ notionem seu essentiam circuli constituunt, sive circulus existat, sive non.

Digitized by Google

2.° Ad veritatem propositionis conditionalis affirmativæ non requiritur ut illud quod in conditione et conditionato ponitur verum sit, sed solummodo ut ea detur connexio inter conditionem et conditionatum, ut hujus veritas a veritate illius pendeat. Sic vera est hæc : *Si anima humana est corpus, ea est corruptibilis.* Falsa vero hæc : *Si anima humana est incorruptibilis, ea est spiritus;* nam potest esse ens simplex materiale.

3.° Ad veritatem disjunctivæ affirmativæ requiritur ut una saltem disjunctionis pars vera sit; etenim id solum in ea asseritur. Sic vera est hæc : *Vel anima humana perit cum corpore, vel post mortem corporis manet superstes.* Tamen si disjunctiva proponatur ut continens divisionem totius in suas partes, ad ejus veritatem ulterius requiritur ut sit completa. Sic vera non est sequens : *Vel anima humana perit cum corpore, vel post mortem corporis est beata;* nam potest esse post mortem corporis perpetuo infelix.

4.° Ad veritatem copulativæ affirmativæ requiritur ut omnes propositiones simplices, ex quibus componitur, sint veræ; hoc enim ejusmodi propositio asserit : si verò vel unum ejus membrum falsum sit, falsa erit propositio; hinc falsa est sequens : *Deus et Angeli sunt omniscii.*

5°. Propositiones causales, discretivæ, exclusivæ, exceptivæ, comparativæ, reduplicativæ et modales reducuntur ad copulativas; facile igitur dignosces quid ad earum veritatem requiratur.

129. Licet verbum in propositionibus quibusdam occurrens tempus præsens aut futurum designet, nonnunquam tamen earum veritas exigit ut earum subjectum sumatur pro præterito. Sic sequentium propositionum subjectum in præterito sumendum est : *Cæci vident, claudi ambulant, mortui resurgunt,* etc.; quarum sensus est : *illi, qui fuerunt cæci, vident,* etc.

Digitized by Google

LEX SECUNDA.

130. Dum vera est subalternans, vera quoque est ejus subalternata; etenim juxta primam legem, dum vera est subalternans, totum ejus assertum subsistit; sed assertum subalternatæ continetur sub asserto subalternantis, igitur tunc quoque assertum subalternatæ subsistit, et proinde subalternata vera est.

131. Dum subalternata falsa est, falsa quoque est ejus subalternans; etenim dum subalternata falsa est, ejus assertum, quod sub asserto subalternantis continetur, non subsistit: proinde assertum subalternantis integrum tunc quoque non subsistit, et ideo subalternans falsa est.

132. Potest tamen esse falsa subalternans quin ejus subalternata sit falsa: pariter potest subalternata esse vera quin vera sit ejus subalternans; fieri enim potest ut assertum subalternatæ subsistat quin tamen subsistat integrum assertum subalternantis sub qua subalternata continetur.

COROLLARIUM.

133. Ergo valet illatio a veritate subalternantis ad veritatem subalternatæ, et à falsitate subalternatæ ad falsitatem subalternantis: non tamen a falsitate subalternantis ad falsitatem subalternatæ, neque a veritate subalternatæ ad veritatem subalternantis.

LEX TERTIA.

134. Propositiones contradictoriæ nec simul veræ, nec simul falsæ esse possunt; ut enim possent simul esse veræ, deberent earum asserta simul posse subsistere; et ut possent simul esse falsæ,

Digitized by Google

deberent earum asserta posse simul non subsistere: sed propositiones contradictoriæ sunt, quarum asserta non possunt subsistere simul, nec simul non subsistere.

135. Igitur omni casu valet illatio a veritate unius contradictoriarum ad falsitatem alterius, et vicissim a falsitate unius ad veritatem alterius.

136. Idem requiritur ad veritatem propositionis negativæ quod ad falsitatem affirmativæ, cujus est contradictoria. Estque hæc tutissima et sæpe unica via propositionum compositarum negativarum veritatem dignoscendi.

COROLLARIUM I.

137. Copulativa affirmativa æquivalet disjunctivæ negativæ ex contradictoriis partium.

COROLLARIUM II.

138. Disjunctiva affirmativa æquivalet copulativæ ex contradictoriis partium.

139. Scholion. Generatim propositioni contradicitur, si ejus initio particula *non* præfigatur: sic si huic: *Joannes est doctus et pius*, præponas particulam *non*, habebis hanc: *non Joannes est doctus et pius*, quæ prioris est contradictoria; nisi tamen accentus loquentis vel alia circumstantia insinuet particulam illam esse infinitantem. Est quidem verum aliquem latinè loquentem non facilè tali locutione uti, sed virtute idem facit qui aut priorem propositionem simpliciter negat, aut dicit non esse verum Joannem esse pium et doctum. De cætero hæc regula generalitate sua discentibus facilitatem parit.

Digitized by Google

LEX QUARTA.

140. Propositiones contrariæ non possunt simul esse veræ; si enim simul veræ forent, deberent earum asserta simul subsistere, quod esse nequit. Possunt tamen simul esse falsæ, nam earum asserta possunt simul non subsistere.

COROLLARIUM.

141. Igitur rectè concluditur a veritate unius contrariarum ad falsitatem alterius; non tamen vicissim a falsitate unius ad veritatem alterius.

LEX QUINTA.

142. Propositiones subcontrariæ possunt esse simul veræ; possunt enim earum asserta simul subsistere; ut in his: *Aliqui homines sunt docti, Aliqui homines non sunt docti.* Non possunt tamen simul esse falsæ; cùm enim una earum asserat prædicatum aliquibus subjecti individuis convenire, altera verò asserat idem prædicatum aliquibus ejusdem subjecti individuis non convenire, fieri omninò nequit ut unius asserto non subsistente, non subsistat assertum alterius, quod tamen requiritur ut possent simul esse falsæ.

COROLLARIUM.

143. Igitur rectè semper concluditur a falsitate unius subcontrariarum ad veritatem alterius; sed non vicissim a veritate unius ad falsitatem alterius.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO TERTIA.

De Ratiociniis.

CAPUT PRIMUM.

De Ratiocinio et argumentatione in genere.

144. RATIOCINAMUR dum ex uno vel pluribus judiciis aliud inferimus; est ergo *ratiocinatio* seu *discursus* actus mentis, quo ex uno vel pluribus judiciis aliud infertur. *Argumentatio* est omnis ea oratio, qua ratiocinium mente conceptum aliis significamus; quidquid igitur de ratiocinio dicitur, pro argumentatione valet, et vicissim; illud porrò judicium quod infertur, vocatur *consequens* aut etiam *conclusio*; atque illud vel ea, ex quibus hoc infertur, *antecedens* audit.

145. Si affirmativa sit conclusio, ratiocinium erit affirmativum; si negativa, negativum.

146. Consequens non alia ratione ex antecedente infertur, quam quod in eo jam contineatur, atque nexus quidam consequens inter et antecedens habeatur; nexus hic *consequentia* audit; estque requisitum adeo necessarium, ut absque eo omnis ratiocinatio illegitima sit et nulla; ideoque consequentiam ratiocinii *formam*, judicia verò, quæ ratiocinium ingrediuntur, ejus *materiam* vocare placuit. Consequens *formaliter*, seu vi formæ, verum dicitur, dum consequentia subsistit, sive dum consequens in antecedente con-

Digitized by Google

tinetur, quod unicum est legitimum. *Materialiter* tantùm verum est, dum præcisè in se spectatum ut aliquod judicium verum est, sed tamen ex antecedente non profluit. Sic materialiter tantùm verum est consequens hujus ratiocinii: *Petrus est animal; ergo Petrus est homo.*

147. Cùm consequens legitimum in antecedente contineatur, cùmque verum non contineat nisi verum; falsum autem continere possit verum et falsum, sponte fluunt sequentes canones, quorum tam in inquirenda veritate quam in ea communicanda usus est frequentissimus.

CANON I.

Ex vero antecedente non potest legitime sequi falsum consequens.

CANON II.

Si consequens legitimum falsum sit, antecedens quoque falsum sit oportet.

CANON III.

Ex falso legitime sequitur verum et falsum, seu, ut aiunt, ex falso sequitur quodlibet.

COROLLARIUM I.

148. Nunquam, concesso antecedente, negari potest consequens, quod ex eo legitime sequitur.

COROLLARIUM II.

149. Si quis, concesso jam antecedente, consequens tamen non admittendum judicet, consequentiam negare debet.

Digitized by Google

150. Ratiocinium ipsum undequaque perfectum erit, si consequens legitimum sit, et omnia, quæ ratiocinium ingrediuntur, judicia vera fuerint, seu, ut vocant, si ratiocinium formaliter et materialiter verum sit, hocque solum legitimum vocari meretur.

151. Plures sunt argumentationis species, scilicet: syllogismus, enthymema, epicherema, dilemma, sorites et inductio.

CAPUT SECUNDUM.

De syllogismo simplici.

152. *Syllogismus* est argumentatio constans tribus propositionibus, ut :

Omne ens simplex est incorruptibile;
Atqui anima humana est ens simplex :
Ergo anima humana est incorruptibilis.

Dicitur *simplex*, dum ejus propositiones sunt simplices : *compositus* vero, dum una ejus propositio est composita. In hoc capite de simplici tantum agemus.

153. Humanæ mentis limitatione evenire solet, ut sola duarum idearum inter se comparatione earum habitudo minime eluceat : quod si tamen eæ cum tertia quadam convenienter assumpta comparentur, tunc ex eo quem ad illam respectum habent, earum pariter habitudo non raro menti relucet. Hoc in syllogismo simplici præstatur; scilicet, singula ex ideis, de quarum convenientia vel disconvenientia quæritur, semel in antecedente cum tertia quadam comparatur, quod duabus antecedentis propositionibus peragitur : tum in

Digitized by Google

conclusione eædem illæ ideæ de se mutuo affirmantur vel negantur, prout eas inter se ex facta comparatione convenire vel non convenire constiterit. Sic ut sciam an idea incorruptibilitatis conveniat ideæ animæ humanæ, assumo tertiam ideam entis simplicis, et cum ea duas priores successive comparo. Deprehendo primum maximam esse convenientiam inter ideam entis simplicis et ideam incorruptibilitatis; deinde etiam eamdem convenientiam esse inter ideam entis simplicis et animæ humanæ. Visa igitur convenientia hujus ideæ cum eadem tertia, affirmo quoque eam inter ipsas dari, et judico : *anima humana est incorruptibilis.*

COROLLARIUM. I.

154. Igitur in syllogismo simplici nec plures nec pauciores quam tres termini intervenire possunt; duo scilicet, qui duas ideas de quarum convenientia vel disconvenientia quæritur, denotant; et hi *extremi* vocantur : et tertius, qui ideam tertiam, quacum aliæ comparantur, significat; et hic usu recepto *medius* vocatur.

COROLLARIUM. II.

155. In conclusione termino medio locus non est, sed ibi extremi inter se comparantur ; et ille quidem qui prædicatum in ea agit, *major extremus;* alter vero qui in conclusione subjectum est, *minor extremus* audit.

156. Propositiones antecedentis etiam *præmissæ* vocantur; atque illa, in qua terminus major extremus cum medio comparatur, *major præmissa* dicitur; illa vero, in qua minor extremus cum medio confertur, *minor præmissa* vocatur.

Digitized by Google

157. Quando duas ideas cum tertia conferimus, tunc vel utraque cum media convenit, vel alter-utra tantum, vel neutra. Primo casu concludendum est eas quoque inter se convenire; in secundo, concludendum est eas inter se non convenire; in tertio vero casu, nihil concludi potest. Hæc nituntur propositionibus tam claris, ut nemo, qui terminos tantum intelligit, eas in dubium vocare possit, suntque sequentes :

PRIMA.

Si duo conveniant eidem tertio, ea quoque inter se conveniunt.

SECUNDA.

Si ex duobus unum conveniat cum tertio et alterum non, ea inter se non conveniunt.

TERTIA.

Si ex duobus neutrum conveniat cum tertio, possunt ea convenire inter se vel non.

158. Scholion. Utimur vocabulo *conveniunt* in sensu latissimo, ita ut intelligatur qualiscumque convenientiæ species. Sensus proinde est : quocumque modo duo eidem tertio conveniunt, sive sint eadem ratione qualitatis, sive ratione quantitatis, eodem prorsus modo inter se conveniunt.

159. Quisquis doctrinam de subalternis perspectam habuerit, facile et absque ullis aliis legibus dijudicare poterit an consequens in antecedente contineatur seu legitimum sit, et syllogismus, ut vocant, bonus. Ne quid tamen discentium commodo desit, præcipuas dialecticorum leges hic adjungemus.

Digitized by Google

LEX PRIMA.

Terminus esto triplex, medius, majorque, minorque.

Patet hoc ex ipsa syllogismi natura : sicuti enim in ratiocinio tres tantum ideæ, ita in syllogismo tres tantum termini esse possunt, cum quælibet idea uno termino denotetur. Contra hanc regulam peccatur :

1.° Si expresse quatuor, aut plures aut pauciores quam tres termini, non synonimi, adhibeantur, ut si dicas :

Omne ens simplex est incorruptibile;
Atqui anima humana est substantia :
Ergo anima humana est incorruptibilis.

2.° Si terminus quispiam sit æquivocus, aut significationem mutet; illo enim casu est æquivalenter duplex; unde vitiosus est sequens :

Duo et tria sunt par et impar :
Atqui duo et tria sunt quinque;
Ergo quinque sunt par et impar.

Nam duo et tria sumuntur in majori ut numeri diversi, in minori autem collective.

LEX SECUNDA.

Nequaquam medium capiat conclusio oportet.

Contra hanc regulam peccat sequens syllogismus :

Digitized by Google

Omnis virtus est honesta;
Sed pietas est virtus :
Ergo aliqua virtus est honesta.

LEX TERTIA.

Latius hos quam præmissæ conclusio non vult.

Id est, terminus extremus non sumatur universaliter in conclusione, quando in præmissis acceptus est particulariter; neque complete universaliter in conclusione, quando in præmissis acceptus est incomplete universaliter; alias enim plus diceretur in conclusione quam in præmissis, quod fieri nunquam potest, cum conclusio contineri debeat in præmissis. Sic vitiosus est sequens:

Omnis homo est animal;
Atqui nullum brutum est homo :
Ergo nullum brutum est animal.

Item hic :

Omnis homo est animal;
Atqui omne animal est sensitivum :
Ergo omne sensitivum est homo.

LEX QUARTA.

Aut semel aut iterum medius generaliter esto.

Id est, terminus medius saltem in una præmissarum accipiatur universaliter, et quidem complete; quia alias præmissæ possent intelligi de diverso significato medii, et sic nihil posset concludi circa extremos. Hoc vitio laborat sequens :

Digitized by Google

Omnis homo est animal;
Atqui omne brutum est animal :
Ergo omne brutum est homo.

Item hic :

Omne animal fuit in arca Noë;
Atqui tuus canis est animal :
Ergo tuus canis fuit in arca Noë.

Non tamen semper necesse est, ut terminus medius distribuatur pro singulis generum, sed sufficit, si distribuatur pro generibus singulorum, modo in altera præmissa in eadem significatione usurpetur. Sic valet sequens :

Omne animal terrestre fuit in arca Noë;
Atqui equus est animal terrestre :
Ergo equus fuit in arca Noë.

Excipitur pariter ab hac regula terminus medius, si sit singularis; cum enim unicum individuum significet, abest omne periculum ne præmissæ de diverso significato medii intelligantur. Sic valet sequens :

Plato fuit discipulus Socratis;
Atqui Plato fundavit sectam academicam :
Ergo aliquis discipulus Socratis fundavit sectam academicam.

LEX QUINTA.

Ambæ affirmantes nequeunt generare negantem.

Id est, dum ambæ præmissæ sunt affirmativæ, etiam conclusio affirmativa sit oportet; etenim in

Digitized by Google

præmissis affirmativis asseritur quod duo termini extremi conveniant cum medio, ex quo nihil aliud sequitur, quam quod termini extremi inter se conveniant.

LEX SEXTA.

Utraque si præmissa neget, nihil inde sequetur.

Quia præmissæ negativæ asserunt extremos non convenire cum medio; jam autem ex eo quod aliqua duo non conveniant eidem tertio, non sequitur illa duo inter se convenire, vel inter se non convenire.

LEX SEPTIMA.

Sit parti similis conclusio debiliori.

Id est, si alterutra præmissa sit negativa, vel si alterutra sit particularis, primo casu conclusio debet esse negativa, et secundo casu debet esse particularis.

Probatur primum : si enim una sit negativa et altera affirmativa, in antecedente asseritur unum extremorum non convenire cum medio, et alterum extremorum cum medio convenire; ex quo nihil aliud sequitur quam extremos inter se non convenire.

Probatur secundum : vel enim conclusio foret universalis affirmativa, et tunc juxta priorem partem hujus legis utraque præmissa deberet esse affirmativa; adeoque unus tantum terminus distribueretur; una enim præmissa est particularis affirmativa, in qua nullus terminus distribuitur. Atqui ne peccetur contra *latius hos* ex parte minoris, et ne contra *aut semel aut iterum*, debent in præmissis duo termini distribui, et proinde pecca-

Digitized by Google

bitur contra alterutrum ex dictis legibus. Vel foret universalis negativa, adeoque in conclusione duo termini distribuerentur; igitur ne peccetur contra *latius hos*, deberent etiam ambo extremi in antecedente distribui; et ne contra *aut semel aut iterum*, debet etiam medius in antecedente distribui; atqui in antecedente ad summum possunt distribui duo termini; quia una præmissarum debet esse affirmativa juxta legem *utraque si*, et una ponitur esse particularis; ergo iterum peccabitur contra alterutram ex his regulis, vel *latius hos*; vel *aut semel aut iterum*.

LEX OCTAVA.

Nil sequitur geminis ex particularibus unquam.

Nam si utraque præmissa foret particularis, tum vel utraque esset affirmativa, et medium nullibi distribueretur; et proinde peccaretur contra *aut semel*. Vel utraque foret negativa, et esset contra regulam *utraque si*. Vel tandem una foret affirmativa, altera negativa; et tum juxta *sit parti* conclusio deberet esse negativa; adeoque ne peccetur contra *latius hos* ex parte majoris extremi, hic in præmissis debet distribui; et ne contra *aut semel*, medius in præmissis debet distribui; atqui in talibus præmissis unus tantum terminus distribuitur: ergo iterum peccabitur contra unam ex dictis regulis.

CAPUT TERTIUM.

De syllogismo composito.

160. Syllogismus compositus est, cujus major præmissa est propositio composita. Præcipuæ ejus species sunt, *copulativus*, *disjunctivus*, et *conditionalis*.

Digitized by Google

161. Syllogismus copulativus est, cujus major præmissa est propositio copulativa, et quidem negativa, cujus una saltem pars affirmatur in minori, ut pars restans negetur in conclusione. Sequitur hanc legem:

> Affirmato uno vel pluribus membris in minori, si unum supersit, hoc simpliciter; si plura, ea copulative negantur in conclusione.

Nam copulativa negativa asserit aliquod sui membrum esse falsum. Tales sunt sequentes:

> Nemo potest servire Deo et mammonæ;
> Atqui avarus servit mammonæ:
> Ergo avarus non potest servire Deo.

Item:

> Falsum est Joannem esse doctum, divitem et humilem,
> Atqui Joannes est dives:
> Ergo falsum est Joannem esse doctum et humilem.

162. Syllogismus disjunctivus ille est, cujus major præmissa est propositio disjunctiva affirmativa, cujus una saltem pars negatur in minori, ut restans affirmetur in conclusione. Sequitur hanc legem:

> Negato uno vel pluribus membris in minori, si unum supersit, hoc simpliciter; si plura, ea disjunctive affirmantur in conclusione.

Nam disjunctiva affirmativa asserit aliquod saltem sui membrum esse verum. Tales sunt sequentes:

> Vel anima humana perit cum corpore, vel post mortem corporis manet superstes;
> Atqui non perit cum corpore:
> Ergo post mortem corporis manet superstes.

Item:

> Vel hiems est, vel ver vel æstas vel autumnus;

Digitized by Google

Atqui nec ver est, nec æstas:
Ergo est autumnus vel hiems.

163. Syllogismus conditionalis seu hypotheticus est ille, cujus major præmissa est conditionalis affirmativa. Ut cum ait Cicero:

Si oportet sapere, dare operam Philosophiæ convenit:
Atqui oportet sapere:
Ergo dare operam Philosophiæ convenit.

Principium ejus directivum est:
Affirmata conditione, affirmatur quoque conditionatum; et negato conditionato, negatur conditio.

Cum enim in conditione contineatur ratio sufficiens conditionati, posita conditione, ponitur conditionatum; et si ab opposito veritas conditionati non detur, neque ejus ratio in conditione dari poterit. Exemplum primæ speciei est syllogismus jam citatus; secundæ vero speciei est sequens:

Si anima humana sit corpus, ea ex partibus constat;
Atqui ex partibus non constat;
Ergo non est corpus.

164. Syllogismi conditionales sæpe vitiosi sunt ex eo, quod in minori præmissa affirmetur potestas ad partem conditionis, et in conclusione inferatur potestas ad totum conditionatum; et ita non valet sequens:

Si Joannes sedens staret, faceret chimæram;
Atqui Joannes sedens potest stare;
Ergo Joannes potest facere chimæram.

Digitized by Google

CAPUT QUARTUM.

De reliquis argumentationum speciebus.

165. *Enthymema* est syllogismus, cujus una præmissa in mente reticetur, propterea quod per se a quovis intelligi ac suppleri possit. Ut dum dico :

Anima humana est ens simplex;
Ergo anima humana est incorruptibilis.

Prior propositio *antecedens* ; altera *consequens* audit.

166. Præmissa in enthymemate subintellecta facile suppletur, si reflectatur minorem extremum semper esse subjectum, majorem vero prædicatum conclusionis, et terminum medium illum esse qui in conclusione non ponitur. Quandoque tamen enthymema ad syllogismum simplicem reduci non potest, scilicet, dum conclusio et antecedens iisdem constant terminis, quale est hoc :

Omnis homo est animal;
Ergo aliquis homo est animal.

Quo casu completur syllogismus supplendo majorem conditionalem constantem eodem, quo enthymema, antecedente et consequente. Sic in casu completur syllogismus, si hæc major suppleatur, scilicet : *Si omnis homo est animal, aliquis homo est animal.* Eodem modo procedendum in aliis similibus casibus.

167. *Epicherema* nuncupatur syllogismus, cujus vel alterutri vel utrique præmissarum sua statim ratio adjungitur, quo adversarius uno velut impetu constringatur. Tale est sequens :

Omne ens simplex est incorruptibile; non enim habet partes in quas resolvi possit;

Digitized by Google

Sed anima humana ens simplex est; nam impossibile est ut ens compositum cogitet;

Ergo anima humana est incorruptibilis.

168. *Dilemma* est argumentatio, in qua ex singulis membris propositionis cujusdam complete disjunctivæ aliquid contra adversarium infertur. Id genus argumentationis urgentissimum est. Sic acuto dilemmate utitur Tertullianus adversus Trajanum imperatorem:

Vel nocentes sunt Christiani, vel innocentes:

Si nocentes, cur inquiri prohibes?

Si innocentes, cur delatis pœnam irrogas?

Leges legitimi dilemmatis.

LEX PRIMA.

Disjunctio sit completa; si enim membra omnia simul falsa esse possint, adversarius negando antecedens vim argumenti eluderet.

LEX SECUNDA.

Quod infertur, ex suo membro legitime profluat; alias adversarius negando consequentiam elaberetur.

LEX TERTIA.

Argumentum non sit reciprocum; quod tunc contingit, quando adversarius, eadem propositione

Digitized by Google

disjunctiva utens, ex ejus membris aliquid contra argumentantem inferre potest. Sic ad probandum munus in republica non esse suscipiendum, male quis uteretur hoc dilemmate:

Vel bene vel male administrabis munus susceptum;
Si bene, offendes homines;
Si male, offendes Deum.

Etenim inverti potest hoc modo:

Vel bene vel male administrabis munus susceptum;
Si bene, placebis Deo;
Si male, placebis hominibus.

169. *Sorites* est argumentatio, cujus antecedens constat tribus vel pluribus propositionibus sic sibi connexis, ut prædicatum præcedentis semper fiat subjectum sequentis, donec subjectum primæ cum prædicato ultimæ conjungatur vel ab eo separetur in conclusione. Talis est sequens:

Avarus multa desiderat;
Qui multa desiderat, multis indiget;
Qui multis indiget, miser est;
Ergo avarus miser est.

170. Naturam hujus argumentationis inspicienti facilè patet, plures syllogismos truncatos in ea contineri: unde soritessemper in syllogismos resolvi potest, et quidem in tot, quot sunt præmissæ, dempta una. Sic supracitatus in hos resolvitur:

Qui multa desiderat, multis indiget;
Atqui avarus multa desiderat:
Ergo avarus multis indiget.

Qui multis indiget, miser est;
Atqui avarus multis indiget:
Ergo avarus miser est.

In ejusmodi argumentatione sæpe erratur per hoc, quod aliqua antecedentis propositio dubia sit, æquivocaaut falsa. Sic non valet sequens:

Digitized by Google

Qui bene bibit, bene dormit;
Qui bene dormit, non cogitat malum;
Qui non cogitat malum, non peccat;
Qui non peccat, salvabitur;
Ergo qui bene bibit, salvabitur.

171. *Inductio* est argumentatio, in qua, quod de singulis, sive generibus inferioribus, sive speciebus, sive individuis affirmatum vel negatum est, universim de toto genere aut specie concluditur; ut si dicas:

Aurum, platinum, argentum, stannum, cuprum, ferrum, plumbum, igni injecta, liquefiunt;
Ergo omne metallum, igni injectûm, liquefit.

172. Inductio est *completa*, si omnia individua, vel species, vel genera inferiora enumerentur; *incompleta* verò, si quoddam omittatur.

173. Inductio completa robur habet invictum; cùm fieri omninò non possit, ut id quod de singulis individuis aut speciebus affirmari potest, integræ etiam speciei aut generi quod ea sub extensione sua complectitur, non conveniat.

174. Minus firmiter concludit incompleta; magnam tamen, si ritè adhibeatur, vim obtinet. Estque hæc inductio, quæ etiam frequentius *argumentum ab analogia petitum* vocatur, Physicis præsertim in usu, servitque ad investigandas generales corporum proprietates et universales naturæ leges stabiliendas, quibus in casibus inductio completa frustra desideratur.

Leges

Digitized by Google

Leges de legitimo inductionis usu.

LEX PRIMA.

Si generalis quædam naturæ lex per inductionem probanda sit, necesse est ut ea in omnibus omninò casibus quæ in examen vocari possunt, iisque non paucis, obtinere deprehendatur. Sic Physici in omnibus corporibus, quæ sub experientiam cadunt, deprehendunt unum ab altero excludi suo loco: hanc proprietatem, quam *impenetrabilitatem* vocant, omnibus omninò corporibus absque dubitatione tribuunt. Non oberit tamen si quandoque contrarium fieri deprehendatur; modo illud, examine accuratiùs instituto, cum lege stabilita certo quodam modo conciliari possit.

LEX SECUNDA.

Si quædam proprietas absoluta, quæ nullum ad sensus nostros respectum habet, universim in majorum corporum massis deprehendatur, ea insensibilibus et quantumcunque parvis corpusculis attribui debet, nisi manifesta obstet ratio; magnitudo enim et parvitas respectu rerum, ut in se sunt, nil immutant, et si idem in minimis corpusculis non observemus, id sensuum defectui attribuendum est.

LEX TERTIA.

Proprietas respectiva, quæ nempe solum comparate ad sensus nostros talis est, a majoribus

Digitized by Google

corporum massis ad minima corpuscula transferri non debet; id enim magnitudinis discrimen, etsi respectu corporum sit accidentale, non tamen tale est relative ad eas proprietates.

LEX QUARTA.

Proprietates, quæ rei cuipiam tantum conveniunt ratione totius aut compositionis, a toto ad partes, vel a composito ad simplicia, ex quibus componitur, transferri non debent. Sic omni toti convenit habere partes, sed non propterea quælibet pars suis iterum partibus constat.

175. *Polysyllogismus* oritur dum plures syllogismi inter se connectuntur, ac veluti concatenantur; idque fit duplici modo:

1°. Ita ut conclusio præcedentis fiat præmissa sequentis; ut in sequenti:

Quod cogitat, est ens simplex;
Sed anima humana cogitat:
Ergo anima humana est ens simplex.

Ens simplex non habet partes;
Sed anima humana est ens simplex;
Ergo anima humana non habet partes.

Quod non habet partes, est incorruptibile;
Sed anima humana non habet partes;
Ergo anima humana est incorruptibilis.

2°. Ita ut præmissarum una fiat conclusio sequentis syllogismi; ut si invertas dicendo:

Quod non habet partes, est incorruptibile;
Sed anima humana non habet partes;
Ergo anima humana est incorruptibilis.

Digitized by Google

Ens simplex non habet partes;
Sed anima humana est ens simplex:
Ergo anima humana non habet partes.

Quod cogitat est ens simplex;
Sed anima humana cogitat;
Ergo anima humana est ens simplex.

176. Argumentatio, quæ in regulas ratiocinii impingere videtur, cum tamen illis sit conformis, *cryptica* dicitur; quæ vero vitio quodam sed latente laborat, atque ideo sua forma destituitur, *paralogismus* seu *sophisma* audit. Sic sophisma committis, dicendo:

Quod non perdidisti, habes;
Atqui non perdidisti 100 aureos:
Ergo habes 100 aureos.

Finis primæ partis.

Digitized by Google

PARS SECUNDA.

De cognitione veritatis.

CAPUT PRIMUM.

De indiciis veritatis et certitudine.

177. Quod veritatem adesse indicat, *indicium* seu *criterium* veritatis dicitur.

178. Ex indiciis non alia ratione veritatem adesse colligere possumus, quam quod inter ea et veritatem ipsam connexio quædam intercedat: hæc vero vel potest esse necessaria vel non: si primum, indicia dicuntur esse *sufficientia*; si secundum, *insufficientia* vocantur.

179. Assensum *firmum* dicimus, qui nullam de opposita falsitate formidinem relinquit.

COROLLARIUM.

180. Firmitas assensus est affectio quædam seu status mentis veritati adhærentis sine ulla formidine de opposito. Porro affectiones mentis meæ præter me nemo cognoscit; igitur præter me nemo firmitatis meæ, neque ego alienæ judex esse possum.

181. Firmitas igitur assensus oritur ex indiciis ut minus apprehensis ut sufficientibus.

182. Assensus *certus* est assensus firmus ortus ex indiciis vere sufficientibus.

Digitized by Google

COROLLARIUM.

183. Cum fieri possit, ut unus pro veritate cognoscat indicia vere sufficientia quæ alterum latent; item ut unus indiciorum, quæ adsunt, sufficientiam perspiciat et alter non, fieri quoque potest, ut de eadem veritate unus certus sit et alter incertus. Sic olim incerti erant de veritate hujus: *dantur antipodes;* nos contra jam certissimi sumus.

184. Necessitas, qua indicia sufficientia cum veritate copulantur, triplex est, scilicet *metaphysica, physica* et *moralis;* unde et certitudo ex illis orta eodem modo dividitur. Certitudo metaphysica habetur, si connexio veritatem inter et indicia, metaphysice necessaria fuerit; ut in hac: *circulus est rotundus.* Si connexio sit physice necessaria, certitudo physica erit; ut in hac: *corpus non suffultum cadit.* Moralis tandem erit, si connexio moraliter necessaria sit; ut in hac: *Cæsar devicit Gallos.*

185. Scholion. 1. Inter tria hæc certitudinum genera supremum gradum obtinet metaphysica, quæ ne per ipsum quidem Deum, adeoque nullo in casu potest esse falsa. Succedit physica, quæ quidem falsa potest esse, sed non nisi per miraculum, seu per mutationem cujusdam naturæ legis. Postrema est moralis, ad quam falsificandam miraculum quidem non requiritur, rarissime tamen aut nunquam fallit. Hæc iterum varios admittit gradus, prout major vel minor falsitatis suspicio aut fallendi difficultas adest.

186. Scholion. 2. Cum omnes naturæ leges ab earum auctore Deo immutari possint, non est simpliciter impossibile ut illud quod physice certum est, aliquando deprehendatur falsum: sed propterea certitudo hæc physica non minus vera est habenda; cum enim constet Deum, qui mundum secundum leges universales a se constitutas gubernat, nonnisi raro et ex causis gravissimis miracula patrare, atque illum eo in casu suppe-

Digitized by Google

ditaturum esse indicia, ex quibus facta legis communis commutatio sat manifeste colligi possit, omnem prudentem de opposita falsitate formidinem excludit. Idem cum proportione dicendum de certitudine morali; hæc enim nonnisi rarissime aut nunquam fallit; atqui secundum humanæ prudentiæ leges ad impossibilia reducenda sunt ea quæ nunquam aut nonnisi rarissime accidunt.

187. In assignando indiciorum sufficientium numero auctores non conveniunt. Nos statuimus quatuor sequentia: *sensum intimum*, *sensum naturæ communem*, *testimonium sensuum externorum* et *auctoritatem Dei et hominum*; ad quæ cætera facile reducuntur.

CAPUT SECUNDUM.

De sensu intimo.

188. *Sensus intimus* seu *testimonium conscientiæ* est perceptio eorum quæ actu in anima fiunt.

189. Igitur universim sensus intimus versatur circa omnes et solas animæ modificationes, quæ actu in illa præsentes sunt. Sic sensu intimo mens percipit se cogitare, velle, dolere, lætari, libertate gaudere; pariter sensu intimo conscia sibi est idearum, quibus actu gaudet, earumque inter se convenientiam vel disconvenientiam percipit; item sensu intimo percipit veritates abstractas, v.g. *impossibile est idem simul esse et non esse*; in quibus nihil aliud quam idearum convenientia consideratur; tandem sensu intimo mens percipit cogitationum nostrarum claritatem vel obscuritatem; affectionum animæ intensionem et remissionem, etc.

190. Quid vero rei sit anima nostra, quid sit tristitiæ vel gaudii causa, an antea cogitaverimus, gavisi fuerimus, etc. sensus intimus non testatur; et universim ad ea, quæ extra animam fiunt, sensus intimus se non extendit.

Digitized by Google

191. Sensus intimus est sufficiens veritatis indicium, paritque certitudinem metaphysicam. Probatur. Neque per Dei quidem omnipotentiam fieri potest, ut illud in anima non existat, quod ea in se percipit : perciperet enim simul et non perciperet : perciperet, ut supponitur; non perciperet, quia quod non est, percipi non potest, seu perceptio sine objecto est impossibilis.

192. Hæc veritas adeo manifesta est, ut quis de ea dubitando illam confirmaret; pone enim aliquem asserere se certo dubitare an sensus intimus sit sufficiens veritatis indicium : hic interrogatus unde sciat se certo de eo dubitare, quid aliud respondere poterit quam se illud novisse ex eo quod illud intime sentiat; adeoque ille vel invitus cogitur agnoscere certum esse illud quod intime sentit.

CAPUT TERTIUM.

De sensu naturæ communi.

193. *Sensus naturæ communis* est quædam animi propensio a natura hominibus indita, per quam illi, rationis usum consecuti, circa res quasdam, quæ sub omnium intelligentiam cadunt, commune et in universum consentiens judicium ferunt. Ejusmodi judicia sunt : *existunt præter me alii homines, Deus existit, estque colendus.*

COROLLARIUM.

194. Nullum igitur judicium, circa quod cæteroquin communis hominum consensio habetur, in sensu naturæ communi fundatum existimetur, nisi sequentes characteres habeat.

Digitized by Google

CHARACTER I.

Illius non alia noscatur origo quam quæ est ipsius naturæ, seu ad illud necessario ferendum sponte et sine ulla ratione a dictamine naturæ diversa, rapiamur.

CHARACTER 2.

Sit universale, sive omnibus hominibus quantumcunque quoad mores et ingenium diversis commune, paucis vel nullis contradicentibus.

CHARACTER 3.

Sit constans et perpetuum, non hujus tantum ætatis, sed et superiorum ætatum moribus litterisque excultarum.

CHARACTER 4.

Sit uniforme, seu cum aliis veritatibus certis ac ab ipsa natura dictatis connexum.

195. Neminem morari debet scrupulus quorumdam existimantium nos certo scire non posse an allegati characteres adsint, propterea quod nec omnes homines, nec interna eorum sensa circa determinatum aliquod objectum noscere valeamus; etenim ad horum cognitionem certitudine, si non physica aut metaphysica, saltem morali maxime nos perducet,

1°. Illorum, quos interrogare licet, confessio.

2°. Aliorum vivendi ratio exterius manifestata; sensus enim naturalis, vel invitis nobis, actiones nostras externas moderari solet.

Digitized by Google

3°. Ipsamet propensio naturalis, cujus nos ipsi conscii sumus, quaque, depositis præjudiciis, occulta quadam naturæ vi ad judicium de hoc vel illo objecto constanter ferendum nos impelli sentimus; hanc enim merito aliis quoque hominibus inesse judicamus, cum eamdem nobiscum sortiti sint naturam rationalem. Sic desiderium felicitatis, quod in nobis experimur, aliis sine hæsitatione tribuimus.

4°. Viatorum relationes, libri et commentarii; quia in illis aliorum hominum sensa consignata sunt.

196. Existit naturæ communis sensus. Cum enim, experientia teste, deprehendantur in omni sæculo inter homines, cæteroquin genio, temperamento, educatione, moribus inter se discrepantes, judicia quædam constanter consentientia de rebus quamplurimis, etsi reliqua illorum judicia sint diversissima; necesse igitur est, ut sit commune omnibus principium, cui ea innitantur; atqui nullum aliud principium omnibus hominibus commune assignari potest, quam natura rationalis ob quam sunt et dicuntur homines; igitur dantur judicia in natura rationali fundata seu ex naturali animi propensione orta.

197. Scholion. Dictis non obstat vix unquam omnes omnino homines in idem judicium conspirare; id enim contingit ex eo, quod aliqui, distortis animi affectionibus nimium indulgendo, contrarios habitus contrahant, suam naturam magnopere depravent, ejusque in se vocem extinguant: ast non magis inde quis inferat consentiens cæterorum plurium et magis proborum judicium non esse naturale, quam naturalem non esse parentum in suas proles amorem, ex eo quod aliqui fuerint parentes, in quibus sensus hic naturalis prorsus suppressus et extinctus fuit.

Digitized by Google

Fontes corrupti communis naturæ sensus.

FONS PRIMUS.

Cupiditas inordinata sciendi; ob hanc enim frequenter contingit, ut qui nimium sapere volunt, in rebus obviis desipiant.

FONS SECUNDUS.

Vanitas quædam ridicula, inanisque gloriæ studium; quo fit ut ab aliis, ac præcipue quidem ab indocto vulgo discerni cupiamus. Hinc a judiciis communiter receptis recedimus, aliterque de rebus omnium captui expositis, quam vulgus solet, pronuntiamus: sicque dum elatione animi aliorum sensa rejicimus, communem quoque naturæ sensum repudiamus.

FONS TERTIUS.

Insita quædam jam ante menti opinio et fortuita quasi adhæsio sectæ cuidam, quæ se novitate falsoque doctrinæ splendore commendat.

FONS QUARTUS.

Studium proprii commodi, quod frequenter, repudiato communi naturæ sensu, nos reperturos speramus: sunt nimirum veritates quædam in sensu naturæ fundatæ hominibus, præsertim voluptatum studiosis, perquam molestæ, quas propterea ex animo ejicere omni cura allaborant.

Digitized by Google

198. Sensus naturæ communis est sufficiens veritatis indicium. Si enim judicia ex illo profecta possent esse falsa, ipsa natura rationalis nos posset in errorem inducere: atqui hoc repugnat; foret enim in eo casu natura nostra rationalis et non rationalis; rationalis quidem, cum sit natura humana, quam si ratione spolies, hominem bruto æquiparas; non rationalis vero, cum enim error rationi, et ratio errori adversetur, necesse est ut ea, quæ per se nos in errorem impellit, natura ratione careat. Dein naturalis hæc animi propensio provenire nequit nisi ab ipso auctore naturæ Deo, cujus bonitati et providentiæ nullatenus congruit, ut eas nobis facultates naturales indiderit, quibus etiam bene utentes directe in errorem impelleremur; talis siquidem error ipsi Deo imputandus esset, quod vel cogitare absurdissimum est. Et sane qui sensum naturæ communem respuit, non tantum omnibus fere tam antiquis quam modernis contradicit, sed et turpem Scepticismum amplecti, atque ab insania haud procul abesse debet.

199. Scholion. Duæ primæ rationes allegatæ evincunt sensum naturæ communem parere certitudinem metaphysicam; adeoque si judicium aliquod in sensu naturæ communi sit fundatum, illud esse metaphysice certum. Aliud tamen dicendum videtur de communi hominum consensu in judicium aliquod determinatum: ut enim tale metaphysice certum sit, debent omnia, quæ ad illud pertinent, esse metaphysice certa: jam vero non metaphysice, sed tantum moraliter certus sum communem illum hominum consensum existere; licet enim illud prudenter quidem ex ea quam in me sentio constitutione conjiciam, sic tamen reipsa esse non nisi ex aliorum confessione, vivendi ratione, narratione aut libris cognosco: nec etiam metaphysice certus sum, consensum illum nullam habere originem aliam quam quæ est ipsius naturæ; posset enim ille sine repugnantia

Digitized by Google

aliqua vel miraculo oriri ex ratione aliqua gravi, licet hæc præcise in natura nostra non esset fundata; igitur communis hominum consensus in judicium aliquod determinatum, absolute loquendo, certitudinem non metaphysicam, sed tantum moralem maximam parere videtur.

200. Dices cum nonnullis, pervulgatum est hoc axioma: *Veritas non est in multitudine quærenda*; verum illud de ea tantum veritate est intelligendum, ad cujus investigationem singularis attentio, major ingenii vis, difficilius ratiocinium aut exquisita experimenta requiruntur, quæ omnia frustra in multitudine desiderantur. Deinde licet illud axioma verum foret, si agatur de multitudine indoctorum reclamantibus doctoribus; falsum tamen erit, si et hi consentiant; tunc enim valet illud: *Vox populi, vox Dei.*

201. Scholion. Immerito opponuntur judicia quædam, v. g. de motu annuo solis circumcirca terram; de non existentia antipodum, etc. quæ licet antea maxime fuerint communia, nunc tamen ut falsa rejiciuntur. Nunquam enim illa ad sensum naturæ communem pertinuere: imprimis enim neutrum oritur ex dictamine naturæ, sed primum ex sensuum apparentia quæ nisi speciali attentione vulgi captum superante, corrigatur, frequenter inducit in errorem; alterum vero ex præjudicio quodam quo abrepti intelligere non potuerunt quomodo homines qui ob gravitatem constanter deorsum tendunt, in inferiori telluris parte hærere possint. Adde, quod de utroque doctiores ex antiquitate dubitarint, moderni fere omnes primum impugnent, alterum vero tanquam falsissimum respuant.

CAPUT QUARTUM.

De testimonio sensuum externorum.

202. Dum occasione mutationis in organis nostris sensoriis ab objectis externis inductæ de eorum

Digitized by Google

præsentia vel certis eorum qualitatibus judicium ferimus, sensus externi de corporum præsentia vel certis eorum qualitatibus *testari*, et si in illo judicio aberremus, nos *fallere* dicuntur. Sic dum occasione lucis quæ oculos afficit, judicamus illam esse præsentem, oculi dicuntur de lucis præsentia testari; dum vero judicamus remum integrum pro parte aquæ immersum, in puncto immersionis esse inflexum, oculi nos fallere dicuntur.

203. Sensus potissimum ad corporis nostri conservationem ususque vitæ necessarios a Deo nobis concessi sunt. Huic porro fini diversis modis satisfaciunt: imo quo res magis salubres aut noxiæ sunt, eo pluribus plerumque sensibus objiciuntur, diversasque in nobis sensationes, quibus eas discernamus, excitant. Sic caro rancida a salubri distinguitur odore, sapore et etiam sæpius colore. Remotiora objecta, cum universim minus prodesse vel obesse corporis nostri conservationi possint quam propinquiora, debilius quoque quam ea nos afficiunt.

204. Generatim de illis quibus mutatio in organo non respondet, sensus nihil testantur. Sic sensus nobis non annuntiant naturam objectorum internam, neque etiam exhibent partes minimas earumque dispositionem etiam in extima corporis superficie latentes; quinimo integra quoque objecta ob molis suæ exilitatem vel ob nimiam a nobis distantiam acutissimum etiam sensuum aciem effugiunt.

COROLLARIUM.

205. Ex his manifesta evadit regula Malebranchii: » De rebus quales in se sunt, ope sensuum » cave ne unquam judices: iis tantum utaris ut » cognoscas qualem res ad se mutuo et ad nos » relationem respectumque habeant. »

Digitized by Google

206. Sensus in examine rerum corporearum nobis utilium aut noxiarum constanter nos fallere nequeunt. Quemadmodum enim Deus optimus magnam nobis in tellure rerum ubertatem concessit, ita iis in bonum uti nos voluit; atqui si sensus nos perpetuo fallerent, omnium harum rerum cognitione commodisque inde profluentibus destitueremur; ergo summa sapientia sibi adversari dicenda foret, si sensus nos perpetuo fallerent; quod maxime absurdum est.

207. Testimonium sensuum de existentia cujuslibet corporis determinati ejusque qualitatibus potest esse legitimum vel non legitimum. Legitimum

1.° Si illud versetur circa objectum sibi proprium. Pro quo notandum quod singulum organum proprium ac determinatum sibi objectum habeat. Sic oculi pro objecto habent lumen et colores, aures sonos, nares odores, lingua saporem, tactus, qui per totum corpus diffunditur, calorem, frigus, magnitudinem, distantiam, aliasque corporum qualitates.

2.° Si illi consentiat vel saltem non adversetur ratio.

3.° Si illi consentiat vel saltem non adversetur testimonium sensuum præcedens vel subsequens.

4.° Si illi consentiat vel saltem non adversetur testimonium actuale alterius sensus; aut tandem 5.° testimonium sensuum aliorum hominum. Secus erit illegitimum.

208. Testimonium sensuum legitimum de existentia cujuslibet corporis determinati ejusque sen-

Digitized by Google

sibilibus qualitatibus sufficiens præbet veritatis indicium : nam ipsa teste experientia, et unanimi, quod in communi naturæ sensu fundatur, judicio, testimonium sensuum frequenter ita nos satisfacit, ut non modo omnem omnino dubitationem tollat, sed ea quoque claritate menti veritatem proponat, ut ea prorsus conquiescat, nec quidquam aliud, quo amplius confirmetur, indaget. Sic alium quempiam de rei cujusdam veritate penitus convicturi, dicimus nos propriis oculis eam rem vidisse, putamusque efficacissimum, quod simili in casu possibile est, argumentum a nobis allatum fuisse; neque falli nos vel ex eo patet, quod alterum responsione hac, si modo nos reipsa vidisse credat, prorsus tranquillum nec aliud quidquam requirentem dimittamus.

209. Scholion. Licet plures testimonio legitimo sensuum circa existentiam cujuslibet corporis determinati certitudinem physicam tribuant, multi tamen nonnisi moralem maximam concedendam esse putant: 1.° ex eo quod non videamur magis esse certi an testimonium illud sit legitimum, 2.° quod majorem communi hominum consensui circa determinatum aliquod judicium non concedant, ex quo tamen testimonium sensuum vim suam haurit.

CAPUT QUINTUM.

De auctoritate.

210. Ratio ob quam alterius testimonium nos movet ad judicium aliquod ferendum, vocatur *auctoritas*, estque duplex, scilicet, *divina* et *humana*, prout testimonium vel a Deo vel ab homine proficiscitur.

211. Auctoritas constituitur per scientiam et veracitatem testantis; nunquam enim movemur ad

Digitized by Google

assensum relationi alterius præstandum, nisi firmiter persuasi simus narrantem neque decipi neque nos decipere velle: illud autem scientia rei, quæ narratur; hoc veracitas præstat.

212. Quo igitur quis certior est de scientia aut veracitate testantis, eo major comparate ad illum erit illius auctoritas.

213. Auctoritas divina parit certitudinem metaphysicam. Cum enim in Deum nulla cadat imperfectio, nullo pacto fieri potest, ut is vel rei alicujus scientia vel veri dicendi voluntate destituatur, adeoque ejus testimonium cum rei veritate nexu metaphysice necessario conjunctum est: atqui dum talis est nexus inter veritatem et indicia, habetur certitudo metaphysica.

214. Auctoritas humana, in se spectata, quandoque fallere potest. Cum enim quilibet homo ob intellectus sui limitationem periculo errandi sit expositus, fieri potest, ut quis in his rebus, quas testatur, non sit satis instructus; cumque insuper pravis animi affectionibus sit obnoxius, fieri rursus potest, ut quis consultò nos decipiat.

215. Auctoritas tamen humana infallibilis est, si sequentes habeat characteres.

CHARACTER 1.

Objectum circa quod testimonium hominum versatur, sit res facti, testantium captum non superans.

CHARACTER 2.

Numerus testantium, qui omnes rem ab uno non desumpserunt, sit tantus, ut in simili casu prudenter major numerus desiderari non possit.

CHARACTER

Digitized by Google

CHARACTER 3.

Non sit locus suspicioni ne testimonium ex prava quadam animi affectione proficiscatur; mens enim ejusmodi motibus agitata vel verum non videt, vel si videat illud occultat.

CHARACTER 4.

Testimonium sit unanime, vel saltem nonnisi a paucis in dubium vocetur. Quod si neque hi, quorum interest, contradicant, maximum inde tali testimonio robur accedit.

216. Auctoritas humana, his stipata comitibus, parit certitudinem ad minus moralem. Hoc enim dictat tum sensus naturæ communis, tum interna experientia, qua sentimus nobis æque impossibile esse tali hominum testimonio refragari ac testimonio oculorum aliorumve sensuum, dum est legitimum.

CAPUT SEXTUM.

De evidentia.

217. Cum veritas aliqua tanta claritate menti relucet, ut eam quasi oculis usurpet, *evidentia* adesse dicitur. Hæc duplex est, *mediata* scilicet et *immediata*. Immediata quidem, quando ex sola idearum comparatione, sine ullo ratiocinio et uno quasi intuitu, patefit, ideam prædicati convenire vel repugnare ideæ subjecti; ut in his: *Circulus est rotundus. Impossibile est idem simul esse et non esse.* Quod vero ex immediate evidenti ope legitimi

Digitized by Google

ratiocinii eruitur, *mediate evidens* seu *evidens in alio* vocari solet; qualis est in plerisque propositionibus mathematicis, quarum veritas non nisi per prolixum ratiocinium innotescit.

218. Cave ne omnia metaphysice certa inter evidentia numeranda esse putes; quis enim non repugnet si dicentem audiat evidens esse *Deum esse unum et trinum*, licet auctoritate divina convicti illud inter metaphysice certa habeamus.

219. Licet evidentia immediata, nunquam, mediata tamen aliquando apparens est; idque accidit ex eo quod vel subrepant principia non evidentia, vel peccetur ex parte ratiocinii; dignosces autem evidentiam tantum esse apparentem, si illi non conveniant sequentes

Characteres veræ evidentiæ.

CHARACTER I.

Si animam sic ad assensum rapiat, ut nullatenus dubitare vel assensum retinere, et si vel maxime velit, possit.

CHARACTER 2.

Si sanæ et tranquillæ menti atque ab affectionibus purgatæ semper sit eodem modo conspicua.

CHARACTER 3.

Si eadem omnibus doctioribus atque in ea dignoscenda rite versatis appareat, modo attentum

Digitized by Google

præbeant animum; fucatus enim evidentiæ apparentis splendor examen sæpius repetitum non sustinet.

CAPUT SEPTIMUM.

De scientia, ejusque diversis speciebus.

220. Cum veritas indiciorum ope detecta menti obversatur, eamdem *cognoscere* dicimur. Cognitio nostra, pro indiciorum veritate, dicitur vel *scientia*, vel *opinio*, vel *fides*. Hic primo de scientia agendum.

221. Scientia est cognitio certa ex indiciis internis orta; et judicium dependenter ab ea formatum, *scientificum* audit; ut cum judico; *totum est majus sua parte.*

222. Sumitur hic terminus *scientia* quatenus refertur ad mentem, sive *formaliter* aut *subjective:* nam *objective* sumptus denotat collectionem seu systema veritatum demonstratarum, quale est Geometria, Logica, etc. Significat quoque apud aliquos demonstrandi habitum longiori usu et exercitio comparatum.

223. Cognitio certa quæ ex solo idearum intuitu acquiritur, *intuitiva* dicitur. Sic intuitive scio me cogitare, etc. *Demonstrativa* autem, dum idearum convenientia vel repugnantia per legitimum ratiocinium eruitur.

224. Scientia, quam sensuum externorum ope obtinemus, *experimentalis* sive *experientia* audit. Experientia etiam vocatur observatio, quæ absque instrumentorum subsidiis, vel eorum ope peragitur. Priori casu *vulgaris* audit; posteriori, *artificiosa.*

Digitized by Google

Sic eclipsis lunæ vel nudo oculo cum vulgo, vel cum astronomis adhibito telescopio artificiose observari potest.

225. Experientiæ seu observationis objectum vel absque nostro labore tale existit, vel illud nostro labore et industria nobis præparamus. Priori casu *phenomenon* vocatur, quale est solem mane oriri et vesperi occidere; posteriori casu habetur *experimentum* quod instituimus, quale habetur dum quis in vacuo considerat animalia.

226. Quidquid igitur non sentimus, per experientiam notum non est. Sic errat qui dicit seipsum fuisse expertum effluvium magneticum quo ferrum attrahitur.

227. Scholion. Vitium hoc *subreptionis* vocatur, committiturque ab iis qui vel nimium imaginationi indulgent, vel per præjudicia ad eam opinionem acti falso sibi persuadent se experiri quod non est; vel id quod per legitimum ratiocinium ex præcedenti experientia deducunt, pro ipsa experientia jactant.

228. Experientia dumtaxat est de rebus singularibus; ea enim solum experimur quæ in organa sensoria agunt: hæc vero omnia existunt, quidquid autem existit, individuum est ac singulare.

229. Et si judicia in experientia fundata singularia sint, facile tamen per inductionem quamplurimarum observationum similium in universalia commutantur.

230. Scientia porro vel *actualis* est, quando eam præsens perceptio convenientiæ vel disconvenientiæ idearum comitatur; vel *habitualis*, cum nunc quidem mens actu hanc idearum relationem non percipit; ob memoriam tamen ejus perceptionis præteritæ ita est comparata, ut quotiescumque eædem illæ ideæ recurrunt, veritatem indubitanter agnoscat.

Digitized by Google

COROLLARIUM.

231. Quisque igitur scit omnes veritates quas in memoria reconditas habet, vi evidentis perceptionis præteritæ.

CAPUT OCTAVUM.

De probabilitate et opinione.

232. Cum indicia veritatis sufficientia non adsunt, adsunt vel insufficientia vel prorsus nulla. Qui indicia sufficientia percipit, *certus* est de veritate; qui tantum insufficientia, *incertus;* qui nulla, eamdem prorsus *ignorat.*

233. Indicia insufficientia sunt, quæ nexu non necessario cum veritate copulantur. Porro attendenti clarum est fieri posse ut sæpius cum veritate conjuncta sint quam non sint; vel ex æquo toties conjuncta sint cum veritate quam non sint; vel tandem ut sæpius non sint conjuncta. Inde oritur triplex incertitudinis status, scilicet primo casu *probabilitas;* 2.° *dubium;* 3.° *improbabilitas.*

234. Igitur probabilitas cum veritate, improbabilitas cum falsitate propositionis confundi non debet; nam ad probabilitatem sufficit ut ea adsint indicia quæ sæpius non fallunt quam fallunt; sed inde nequaquam sequitur eadem indicia in præsenti hoc et determinato casu non fallere; quod tamen ad propositionis veritatem requiritur. Vice versa de improbabilitate.

235. Cavendum etiam, ne propositionem solum possibilem inter probabiles reponamus; cum fieri possit ut ea sit possibilis, et tamen pro reali ejus veritate indicia nulla habeantur.

Digitized by Google

236. Propositio eo est probabilior, quo sæpius veritas comitatur indicia quæ pro ea militant; et ab opposito eo improbabilior, quo rarius indicia illa veritatem comitem habent.

237. Scholion 1. Quo plura ac firmiora sunt veritatis indicia, eo etiam, experientia teste, sæpius veritas cum iis conjuncta est. Hinc generatim ut inter probabiliores haberi possit propositio, necesse est, ut vel plura, vel saltem in æquali numero firmiora indicia habeat. Id tamen probe observandum, non tam numerum quam argumentorum pondus attendi debere; non enim infrequens est, ut unicum argumentum tanti sit roboris, ut etiam quamplura in partem oppositam infringat.

238. Scholion 2. Probabilitas quandoque in latiori sensu sumitur, ita ut pro quolibet incertitudinis statu ponatur; quod et nos in sequentibus faciemus.

239. Gradus probabilitatis in casu speciali definitur, si determinetur quoties ex numero omnium casuum, indicia, quæ adsunt, cum veritate conjuncta sint.

COROLLARIUM.

240. Quando indicia omni casu cum veritate conjuncta sunt, habetur certitudo. Est igitur probabilitas ad certitudinem ut numerus casuum quibus veritas cum indiciis, quæ adsunt, conjuncta est, ad numerum omnium casuum.

241. Numerus casuum quibus indicia cum veritate conjuncta sunt, determinari potest *a priori* vel *a posteriori*. A priori quidem, si ex causarum dispositione vel circumstantiis determinetur quot omnino in iis adjunctis casus possibiles sint, et simul quot dentur possibiles pro determinato quodam effectu, cujus probabilitas quæritur. Sic cum una alea sit æqualiter comparata ad omnes 6 numeros, casus prorsus omnes possibiles sunt 6;

Digitized by Google

possibilis vero pro determinato aliquo numero unus occurrit : est igitur probabilitas pro determinato quodam numero ad certitudinem ut 1 ad 6. In duabus aleis undique notatis casus possibiles omnes sunt 36 ; pro determinato vero numero v. g. pro 4, occurrunt 3 casus : ergo est probabilitas uno jactu obtinendi numerum 4 ad certitudinem ut 3 ad 36.

COROLLARIUM

242. Numerus casuum quibus indicia cum veritate propositionis conjuncta non sunt, est numerus casuum quibus indicia conjuncta sunt cum veritate contradictoriæ ejusdem. Est igitur probabilitas propositionis ad probabilitatem contradictoriæ ejusdem, ut numerus casuum quibus indicia cum veritate conjuncta sunt, ad numerum casuum quibus eadem indicia cum veritate conjuncta non sunt.

243. Numerus casuum quibus indicia cum veritate conjuncta sunt a posteriori determinatur, dum per experientiam definitur quoties ex numero casuum quamplurimorum (omnes enim casus per experientiam investigare impossibile est) quibus eadem, quæ nunc, adsunt indicia seu adjuncta, determinatus effectus secutus fuerit. Sic si ex 100 observationibus mihi constet vespertinæ cœli rubedini nonagies serenitatem diei sequentis successisse, erit probabilitas serenitatis diei sequentis ad certitudinem ut 90 ad 100, adeoque ad probabilitatem contradictoriæ ejus ut 90 ad 10.

Si vero ex quatuor tantum observationibus constaret ter eumdem effectum secutum fuisse, male inferres probabilitatem serenitatis diei sequentis esse ad certitudinem ut 3 ad 4.

244. Igitur probabilitas futuri eventus non infringitur per exceptionem alicujus casus specialis;

Digitized by Google

sic non cessat probabile esse hodie pluviam futuram, propterea quod mane cœlum rubuerit, licet heri eumdem cœli ruborem pluvia secuta non sit.

245. Cum æstimatio probabilitatis futurorum eventuum in quotidiano vitæ usu non sit modicæ utilitatis, non inconsultum erit subjungere sequentes

LEGES CONTINGENTIUM.

LEX PRIMA.

Dispiciantur atque accuratissime examinentur omnes circumstantiæ quæ effectus existentiam præcedere solent. Etenim ex iis solum prudenter judicari potest an effectus futurus sit vel non.

LEX SECUNDA.

Quod in certis circumstantiis semper accidit, habendum est moraliter certum; quod nunquam, moraliter impossibile; quod quandoque evenit et quandoque non, prorsus contingens est, ejusque probabilitas modis jamjam dictis determinatur.

LEX TERTIA.

Tandem improbabile censendum est fore ut effectus contingat in iis circumstantiis, quibus positis alias rarissime contingere solet; indicium enim quod fere semper fallit, nullam parit probabilitatem.

246. Si indicia utrimque paria vel nulla adsint, assensus omnis retinendus est; animus enim, ut ait Cicero, bilancis naturam habet, quæ proinde in æquilibrio consistit sive paria utrimque, sive nulla pondera apponantur.

Digitized by Google

247. Probabilitas propositionis prorsus evanescit, quamprimum ejus veritas aut falsitas certo detegitur; cum enim indicia cognoscuntur adesse sufficientia vel nulla, insufficientibus amplius locus non est, adeoque omnis incertitudinis ac probabilitatis status qui ex illis oritur, exulare debet.

COROLLARIUM.

248. Quidquid igitur sententiæ certæ opponitur, nullam amplius habet probabilitatem, atque adeo ea impugnari cum ratione non potest.

249. Quemadmodum indicia, quæ ab auctoritate petuntur, *externa*, et reliqua *interna* dicuntur; ita probabilitas dicitur *externa* dum ejus indicia petuntur ab auctoritate, alias *interna* audit.

250. *Opinio* latissime sumpta denotat quamlibet cognitionem incertam oriundam ex indiciis internis; proprie vero est cognitio interna probabilis: judicium vero quod dependenter ab ea formatur, vocatur *opinativum*.

251. Quamvis auctoritas auctoritati addita probabilitatem externam alicujus propositionis augere possit, attamen in disciplinis probabilitatis internæ capacibus, probabilitas externa in doctorum auctoritate fundata non magis attenditur quam ipsa ratio qua impulsi in eam opinionem convenere: verum cum prudenter præsumere non liceat doctores virosque doctos tanto numero in unam abituros fuisse sententiam, nisi graves pro ea rationes perspexissent, eam quoque iis, qui probabilitatis internæ indagandæ *non satis sunt capaces*, amplecti licebit, non tam propter doctorum auctoritatem, quam propter rationem internam quam ipsos pervidisse prudens suadet præsumptio.

Digitized by Google

CAPUT NONUM.

De fide.

252. *Fides* est cognitio ex loquentis vel scribentis auctoritate acquisita. Ipse vero qui sic assentitur, *credere* dicitur.

253. Sicut auctoritas, ita et fides potest esse certa vel incerta; hæcque est vel probabilis vel improbabilis vel dubia.

254. Referri possunt vel quæ ad scientias pertinent, vel quæ fiunt aut facta sunt. In illis auctoritatem non attendimus; igitur fides locum dumtaxat habet in rebus facti seu historicis.

255. *Testis* est omnis ille, qui nobis aliquod factum sive ore sive scripto refert: estque *idoneus*, si habeat auctoritatem, sive si debita rei notitia et veridicendi voluntate sit præditus.

256. Quivis testis habendus est verax, nisi contrarium probetur: licet enim homines mentiri possint et sæpe etiam mentiantur, nihilominus tamen cum natura quemdam veritatis amorem omnibus indiderit, merito præsumimus quemlibet in loquendo naturalem hanc propensionem sequi, nisi oppositum suspicandi gravis adsit ratio.

257. Notitia rei in teste non præsumitur, sed positive probari debet; quod enim frequenter non fit, id non potest in casu quovis particulari prudenter supponi factum fuisse, sed omnino necesse est ut solidis evincatur rationibus: jam vero requisita industria ac labor, cæteraque quibus rerum notitia comparari debet, persæpe non adhibentur; igitur et ipsa fuisse adhibita non præsumi sed probari debet.

Digitized by Google

258. Præter hæc generalia artis criticæ circa testimonium hominum præcepta, assignantur adhuc quædam speciales

REGULÆ CRITICÆ.

Circa veracitatem testis.

REGULA PRIMA.

Fidem non meretur qui aliquoties falsa referre deprehensus est. Vel enim ex ignorantia ille toties fefellit, et hominem incurium aut leviter credulum se ostendit; vel sciens ac data opera mentitus est; tum vero nullam certe meretur fidem, ac ne tunc quidem sæpe, cum rem jurejurando affirmat.

REGULA SECUNDA.

Partium studium testis auctoritatem multum enervat; nam proclives maxime sunt homines ad alios decipiendos, quando sua ipsorum aut suorum res agitur, atque ex veritatis occultatione quidpiam in ipsos redundat, vel quando testimonium dicunt in utilitatem eorum a quibus testes esse jubentur. Ab opposito maximam merentur fidem ii qui, contempto proprio commodo ac utilitate, etiam in suum detrimentum aliquid testantur. Exemplo sint Apostoli qui de Christi Domini resurrectione, etiam cum vitæ periculo, liberrime testimonium tulerunt. Generatim partium studium, adulatio erga principes, immoderatus patriæ gentisque amor ac importuna reliquorum affectuum turba in causa sunt cur historici veritatem sincere non pandant, efficiuntque ut suorum vitia occultent,

Digitized by Google

vel præclare gesta ultra modum extollant, atque alias gentes præ sua deprimant; igitur dispiciendum est sedulo utrum in teste harum affectionum aliqua et quænam vehementius dominetur; idque ex ejus moribus, vitæ institutione, scribendi fine, cæterisque adjunctis aliquatenus cognoscitur.

REGULA TERTIA.

Nimia cura styli testis auctoritatem minuit; qui enim stylum scribendi affectant, sæpe non tam de veritate quam de vocabulorum elegantia solliciti sunt, satisque sibi faciunt modò res verisimiles conscribant. Ex hoc capite maximam merentur fidem libri Evangelici, cum in illis res maxime insolitæ et prodigia prorsus stupenda sine inutili elegantiarum comitatu, stylo prorsus simplici exarentur; unde omnis exaggerationis aut allegoriæ suspicio excluditur.

REGULA QUARTA.

Styli acerbitas multum fidei auctori detrahit; indicat enim animum odio aut acerbitate occupatum; nisi tamen aliunde constet scriptorem non passione, sed rei indignitate permotum loqui vehementius.

REGULA QUINTA.

Viri illustres in dignitate constituti publicaque fama celebres, cæteris paribus, magis veraces habentur; experientia enim teste in ejusmodi viros longe rarius quam in rudes ac de plebe homines mendacium cadit, cum illi præ his conservandæ nominis sui gloriæ studiosiores esse soleant: amplitudo igitur nominis ac viri dignitas non exiguum testimonio robur addit.

Digitized by Google

REGULA SEXTA.

Auctor qui nomen suum profert, majorem plerumque quam anonymus aut personatus, fidem meretur.

REGULA SEPTIMA.

Qui textus auctoris truncatos, intercisos, corruptos, aut in alium quam in contextu habent sensum detortos citat, nullam fidem meretur; illud enim est hominis non modo mendacis, sed etiam sæpe calumniantis.

REGULÆ CRITICÆ

Circa rei notitiam.

REGULA PRIMA.

Testis, qui coævus non est, narrationis suæ documenta adferat (quin et coævus, si oculatus non sit, seu rei gestæ non interfuerit, sæpe, citando fontes, scientiæ suæ rationem reddere debet; notum enim est, quantum fama circumstantias variet, et, ut dicunt, *crescat eundo*) : documenta autem ea potissimum consistunt in inscriptionibus sepulchrorum, columnarum et nummorum, in antiquis scripturis et picturis, item in publicis archiviis, quæ quantam et ipsa fidem mereantur, expendendum.

REGULA SECUNDA.

Nihil testi desit eorum quæ ad acquirendam scientiam rei de qua testatur, sunt necessaria :

Digitized by Google

hinc sit eruditus iis disciplinis quarum notitia ad opus, quod scribit, necessaria est. Sic historiæ ecclesiasticæ scriptor insignem rerum theologicarum, historiæ naturalis compilator physicarum notitiam habeat, necesse est; secus enim aut multa maximopere notanda omittet, aut omittenda imo falsa leviter credulus referet. Hinc etiam pleraque inter fabulas referimus quæ in viatorum ac mercatorum diariis de atheismo vel de religione populorum in America et Asia degentium relata legimus; homines enim hi nullo prorsus pacto idonei erant illarum gentium moribus et religionis dogmatibus explorandis, quippe et necessaria linguæ notitia, interrogandique methódo destituti erant, et unice quæstui intenti nunquam interiora earum regionum penetrarunt. In rebus physicis recentiores antiquioribus præferuntur; extra controversiam enim positum est nostri temporis physicos majoribus adjumentis ad naturæ phenomena et observanda et perscrutanda instructos esse.

REGULÆ COMMUNES.

REGULA PRIMA.

Si res narrata aperte sit impossibilis, quantuscumque referat testium numerus, ad fabulas est releganda. Interim non omne impossibile est dicendum quod vulgo impossibile creditur. Exemplo sint quamplurima phenomena electrica.

REGULA SECUNDA.

Si circumstantiæ, quæ facto annectuntur, sibi contradicant, de ipsa re etiam merito dubitatur.

Digitized by Google

REGULA TERTIA.

Res valde mirabiles, insolitæ, præsertim illæ in quibus phantasia aut sensuum illusio facile locum habet, non facile uni nec pluribus testibus credendæ sunt. Hinc suspectæ plerumque sunt terrificæ illæ de sagis, spectris, lemuribus aliisque id genus narratiunculæ.

REGULA QUARTA.

Ex eo præcise quod factum aliquod antiquum moribus aut opinionibus nostris consentaneum non sit, vocari illud in dubium non debet; mores enim et opiniones mutantur cum tempore.

REGULA QUINTA.

Traditio communis facti alicujus antiqui, sed solemnis et publici, licet ejus documenta coæva non extent, magnam tamen fidem meretur; cum enim ejusmodi facta nec sine magno populorum strepitu geri, nec sine publica plurimorum consensione divulgari ita communiter potuerint, quis ausit suspic... majores, ex quorum traditione notitia facti ad nos pervenit, ad unum omnes aut tam simplices et credulos fuisse, ut manifeste falli se ab impostore passi sint, aut tam malitiosos, ut conspirare ad propagandum tam solemne mendacium voluerint. Contra, ob solam traditionem etiam communem credi non debet factum, quod in se vel in suis adjunctis ejusmodi est, ut ab initio dumtaxat a paucis cognosci potuerit; qualia sunt privata quandoque prodigia, quæ a muliercula nimis credula primo divulgata, sensim in vulgus dimanant.

Digitized by Google

REGULA SEXTA.

Si factum aliquod memorabile testes recentiores enarrent, cujus nullus coævorum meminerit, qui tamen, si contigisset, ejus notitiam pronamque referendi occasionem habuissent, jure illud in dubium vocari potest ac debet. Argumentum hoc a criticis *argumentum negativum* vocatur, quo ut quis rite utatur ostendat

1°. Coævos scriptores certam illius habituros fuisse notitiam, si contigisset; si enim nesciverint, referre sane non potuerunt; habuisse autem ejus notitiam censebuntur, tum, si factum sit insigne, publicum, quodque eo in loco atque eo tempore contigit, ut latere eos non potuerit.

2°. Eos habuisse pronam referendi occasionem; quod colligitur ex eo quod factum hoc ad ejus quam scribunt historiæ filum pertineat; quod ad eorum quæ scriptor pertractat confirmationem conferre plurimum potuisset; quod auctori fuerint illud adducendi motiva. His ducti rationibus fidem non habemus Philostrato, qui 200 post annis prodigia maxime stupenda ab Apollonio Thyanæo patrata fuisse narrat, quorum nullus coævorum meminit, etsi ad idololatriæ superstitionem, quam promovere conabantur, confirmandam plurimum contulissent.

3°. Nihil tamen ex coævorum silentio concludi potest, si gravis illius ratio adferri possit; ut quod ejus relatio populi, principis, aut alterius cujusdam, apud quem gratia maxime valere intererat, offensionem vel aliud quoddam incommodum auctori facile accersisset. Sic hæreticis rationem damus efficacissimam, cur de Sacramentis aliisque nostræ

Digitized by Google

nostræ religionis mysteriis trium primorum sæculorum Patres non tam multa, tamque minutatim ac accurate scriptis consignaverint; disciplinam nempe arcani, quam inter primos Christianos viguisse ex Origine, Tertulliano, aliisque illorum temporum scriptoribus intelligimus.

4°. Tandem argumentum hoc locum non habet, cum alliis quidem coævis tacentibus, alii rem enarrant: tum siquidem locum habet recepta apud criticos regula: *Qui aliquid tacet, id propterea non negat.* Idque licet coævi cæteri iis in locis sileant, ubi debuissent factum illud enarrare, aut certo ejus commemorandi occasionem habuissent; potius enim æstimandum est, hos aut factum illud ignorasse, aut ex incuria omisisse, aut aliter contra historiæ regulas peccasse, quam narrantes mendacii incusare.

259. Dum datur testimoniorum conflictus, cujuslibet testis auctoritas expendatur juxta ea quæ tum hic, tum capite 5. dicta sunt.

260. Scholion. Cum auctoribus librorum Evangelicorum aut veridicendi voluntatem, aut factorum, quæ narrantur, notitiam defuisse prudenter suspicari non liceat, hi libri, spectata etiam sola ratione naturali, fidem, quæ in rebus humanis dari potest, maximam merentur, atque rationem exuisse censendi sunt, qui, nescio quo malo genio aut scepticismo acti, fidem quam Livio, Curtio aliisque longe inferioris notæ scriptoribus liberalissime tribuunt, iisdem pertinaciter denegant.

CAPUT DECIMUM.

De methodo inveniendæ et communicandæ veritatis.

261. Per *methodum* intelligitur modus ordinatus veritatis tum inveniendæ, tum aliis ore vel scripto communicandæ.

Digitized by Google

262. Cum *ratiocinii* ope veritatem detegimus, eam *probare* dicimur. Propositiones vero ex quibus ratiocinii antecedens constat, probationis *principia* dicuntur. Hæ si ad unam omnes certæ fuerint ac evidentes, *demonstratio* conficitur; alias simplex *probatio*.

COROLLARIUM I.

263. Demonstrationis principia sunt definitiones, axiomata, postulata ac experientiæ certæ, et propositiones jam demonstratæ.

COROLLARIUM II.

264. Demonstratio legitima reddit rem demonstrandam evidenter veram; cum enim conclusio contineatur in præmissis, nequit illa non esse evidenter vera, si hæ tales sint. Si ergo quidpiam quod a quibusdam demonstratum dicitur, falsum subinde esse ostendatur, ea demonstratio illegitima est et ad paralogismum releganda.

265 Scholion. Duplici potissimum ex capite demonstratio illegitima evadit: vel enim vitium formæ in argumentando committitur, quod quidem rarius contingit; vel quod longe frequentius, propositioni dubiæ aut plane falsæ inter principia locus datur. Nunquam igitur utamur principiis dubiis vel falsis, nisi quando congrediendum est cum determinato adversario qui ea in certis habet, et causa ex parte nostra est justa: tum vero *ad hominem* argumentari dicimur. Sic pristini Christiani ex libris Mercurii Trismegisti et Sibyllarum oraculis idololatriam impugnarunt, quia ad ea velut genuina aut prope divina ipsi Gentiles provocabant.

266. Demonstratio *a priori* dicitur, dum principia ex quibus ea petitur, vel actu vel saltem cogitatione nostra rem demonstrandam præcedunt; ut dum ex simplicitate animæ humanæ ejus incorruptibilitas demonstratur.

Digitized by Google

A posteriori vero, cum principia rem demonstrandam consequuntur; qualis est demonstratio existentiæ Dei ex rebus creatis.

COROLLARIUM.

267. Causa ante effectum, essentialia ante attributa, hæc ante reliqua quæ rei insunt, concipiuntur; ergo omnis demonstratio ex his principiis *a priori* vocatur; demonstrationem autem a posteriori habebis, si ab effectu ad causam, vel ab attributis ad essentialia argumenteris, et generatim quoties per experientiam aliquid demonstras; nam experientia nonnisi de effectibus datur.

268. Demonstratio dicitur *directa* seu *ostensiva*, dum ex ipsa idea subjecti evincitur prædicatum ei convenire vel repugnare; ut si sic argumenteris: Ens necessarium est æternum; sed Deus est ens necessarium: ergo Deus est æternus.

269. Demonstrationem directam conditurus primo omnium ideam distinctam, et quidem complete distinctam tam subjecti quam prædicati propositionis demonstrandæ animo informet, eamque per legitimam definitionem exprimat. Tum inde eliciat axiomata aut principia alioquin recepta et ad præsentem materiam accommodata, uti et propositiones, si quibusdam opus est, jam alias demonstratas inquirat. Tandem hæc omnia in syllogismum ordinet. Ita si demonstranda sit hæc propositio: *Anima humana est incorruptibilis*, sic progredieris:

Quod cogitat est ens simplex (propositio demonstranda suo loco): sed anima humana cogitat (definitio animæ humanæ): ergo anima humana

Digitized by Google

est ens simplex. Ens simplex non habet partes (definitio entis simplicis); sed anima humana est ens simplex (conclusio præcedens): ergo anima humana non habet partes. Quod non habet partes, non potest in partes dividi (axioma); sed anima humana non habet partes (conclusio præcedens): ergo anima humana non potest in partes dividi. Quod non potest in partes dividi, est incorruptibile (definitio incorruptibilitatis); sed anima humana non potest dividi in partes (conclusio præcedens): ergo anima humana est incorruptibilis.

270. Demonstratio *indirecta* seu *deductio ab absurdo* fit, dum contradictoria propositionis demonstrandæ interim ut vera assumitur, atque ex ea legitime argumentando conclusio manifeste absurda deducitur.

271. Demonstratio indirecta invicte probat veritatem propositionis demonstrandæ; cum enim conclusio falsa et absurda legitime deducatur ex contradictoria propositionis demonstrandæ, necesse est ut illa falsa sit; et proinde vera propositio demonstranda.

272. Scholion. In eo tamen demonstratio hæc a præstantia demonstrationis directæ deficit, quod non ostendat quare et quomodo res demonstranda vera sit; sed solummodo falsam non esse irrefragabiliter evincit, atque adversarium in tales angustias conjicit, ut aut evidenter absurda admittere, aut veritatem pertinaciter negatam fateri cogatur. Hinc ejusmodi demonstratione non facile utimur, ubi directa in promptu est, aut illam cum hac consociamus ut majus veritati robur accedat.

273. *Principium* in demonstrando *petitur*, quando loco principii adducitur id ipsum quod in quæstione est, vel æque dubium ac controversum; ut

Digitized by Google

si contra atheum probare volens mundum non esse ab æterno, sic argumenteris: Deus creavit mundum in tempore; ergo mundus non est ab æterno.

274. Huic affinis est *circulus vitiosus*, qui committitur, dum una propositio per alteram demonstratur, ita ut una agat principium alterius et vicissim; ut si ex spiritualitate animæ humanæ ejus immortalitatem, et deinde ex ejus immortalitate spiritualitatem demonstres.

275. Scholion. Cave tamen ne cum circulo vitioso confundas *regressum demonstrativum*, qui tunc habetur, cum propositio jam aliunde demonstrata confirmatur per illam respectu cujus ea principium egit. Sic, demonstrata per sensum naturæ communem Dei existentia, ex summa ejus bonitate et veriloquio, infallibilitatem sensus naturæ communis jam aliunde demonstratam bene confirmas. Ut vero vitia in demonstrando facilius evites, observa sequentes

Leges demonstrationum.

LEX PRIMA.

Status quæstionis quam accuratissime determinetur; id autem obtinetur:

1.° Accurata vocabulorum definitione.

2.° Divisione quæstionis propositæ in suas partes, si quas habeat.

3.° Resecando ea quæ aut certo vera, aut certo falsa, aut huc non pertinentia, aut prorsus inutilia esse conspiciuntur.

4.° His præstitis, quæstionem propositam simplicissimis, quantum fieri potest, terminis exprimendo.

Digitized by Google

5.° Tandem subordinando, si plures remaneant, quæstionis partes, ita ut illæ præcedant, quarum demonstratio aliis evincendis inservit, singulæque seorsim ac suo loco pertractentur.

LEX SECUNDA.

Constituto quæstionis statu, attente expendendum quid fortasse in ipsa re jam notum sit, atque ab eo inchoandum; tam arcta enim est veritatum inter se connexio, ut ex una, licet prima fronte levissima videatur, quamplures tamen gravioris momenti profluant.

LEX TERTIA.

In toto demonstrationis decursu eadem conservetur evidentia; tunc enim solum propositio demonstranda evidentiam consequitur, quæ tamen finis est demonstrationis. Hinc ita brevitati stude ut tamen obscuritatem, ordinarium brevitatis comitem, evites: dein stylo utaris plano et simplici; nimius enim ornatus imaginationem auditorum ferit, attentionemque a rebus ipsis avertit.

LEX QUARTA.

Demonstratio tentanda non est, ubi successus prudenter sperari non potest; secus enim oleum et operam perdes. Quare insignis temeritatis reum se facit, qui in mysteriis a Deo revelatis evidentiam et demonstrationem quærit, cum limitatas humani intellectus vires excedant, et in quibus, ut sapienter monet D. Augustinus, tota ratio facti est omnipotentia facientis. Certissime itaque tenendum Deum efficere plus posse quam nos limitato nostro intellectu assequi.

Digitized by Google

276. Probatio duplici modo ordinari potest; scilicet, vel propositio cujus veritas quæritur tamdiu in sua principia resolvitur, donec tandem ad prima principia perveniatur, ex quibus data propositio profluit: vel principia primo loco ponuntur, atque ex his consequens aliud atque aliud deducitur, donec extremo loco ad propositionem illam perveniatur, cujus veritas ostendenda est. Hinc duplex nascitur methodus; prima *analytica* seu resolutionis, altera *synthetica* seu compositionis.

277. Sunt in utraque methodo præsertim in synthetica, voces nonnullæ usitatæ quarum significationem hic paucis damus. Propositio quæ dumtaxat nexum inter subjectum et prædicatum indicat, *speculativa* audit; ut hæc: *Duæ contradictoriæ non possunt esse simul veræ.* Quæ vero aliquid faciendum proponit, *practica* dicitur; ut hæc: *A puncto dato ad aliud lineam rectam ducere.* Speculativa, si demonstratione non egeat, *axioma*; alias *theorema* audit. Practica, si rei faciendæ modus evidens sit, *postulatum* vocatur, ut propositio mox citata; alias *problema:* hocque ex tribus partibus constat; prima aliquid faciendum proponit; altera modum suppeditat, quo id fieri debet; tertia hoc modo rem petitam obtineri demonstrat. *Lemma* est propositio, quæ ex alia scientia quasi mutuo accipitur, ut illius ope propositio nunc occurrens demonstretur. *Corollarium* dicitur, quod ex præcedenti ita profluit, ut ulteriori probatione non egeat. *Scholion* est, in quo vel obscuriora quædam explicantur, vel dubia atque objectiones solvuntur, vel usus doctrinæ præsentis exponitur, vel alia tandem ad rem spectantia adferuntur.

278. Scholion. Cum veritatem nondum notam inquirimus, utimur methodo analytica; tunc enim investiganda sunt principia evidentia ex quibus propositio data legitime profluit: cum vero veritatem jam a nobis in-

Digitized by Google

ventam cum aliis communicamus, sive cum alios docemus, synthetica fere in usu est, propterea quod principia universalia et per se evidentia nullo negotio a quovis intellectu perspiciantur : quare dum ab his inchoamus, et sensim ad veritates magis compositas descendimus, id obtinemus ut discentem a facilioribus successive ad difficiliora et magis composita quasi per gradus ducamus, efficimusque ut ea facilitate ac claritate qua principiorum veritatem perspexit, illam quoque veritatem, de qua agitur, intime pervideat. Sed facile patet, descensum hunc debere esse lentissimum, ut nimirum ex principio non inferatur nisi id, quod primo loco et immediate ex eo profluit.

CAPUT UNDECIMUM.

De interpretatione et lectione librorum.

279. *Ars interpretandi*, quæ et *hermeneutica*, dicitur, est ars determinandi sensum quem auctoris verba vel ore vel scripto prolata continent.

COROLLARIUM.

280. Qui ergo alterius verba interpretari aggreditur, is mentem auctoris perfectissime assequi debet: et proinde easdem, quas auctor, vocabulis ideas conjungere.

181. Nullus unquam sensus verbis auctoris est tribuendus, nisi qui clare probari possit: cum enim a posse ad esse non valeat illatio, ut Logici loquuntur, ex eo quod verba possint habere determinatum aliquem sensum, inferri nequit eum reipsa talem esse in casu occurrente; igitur quis ex omnibus possibilibus nunc sit determinatus vocabulorum sensus positiva ratione stabiliri debet. Indicia ex quibus id efficitur, *principia interpretandi* vocantur.

Digitized by Google

282. Principia hæc ex triplici fonte petuntur; nempe ex usu loquendi recepto, ex intentione loquentis, vel tandem ex subjecta materia. Qua porro ratione utendum sit triplici hoc fonte, sequentes docebunt

Leges interpretandi.

LEX PRIMA.

Usus loquendi exigendus est ad eam ætatem eamque regionem, in qua auctor librum conscripsit; notum siquidem est plura vocabula decursu temporis vim et potestatem immutasse : ad hoc vero plurimum conducit diligens morum gentium et antiquitatis studium. Eligendus porro est sensus maxime naturalis, is scilicet quem verba primum nacta sunt, nec ab eo nisi gravi de causa recedendum; qualis foret si secus significatio aut nulla, aut absurda, aut instituto auctoris parum congrua oriretur. Nemo autem est qui non videat ad hæc rite præstanda requiri perfectam notitiam linguæ, in qua liber conscriptus est; et hac etiam de causa libros originales versionibus præferimus; cum, experientia teste, frequentissime contingat, ut qui translationis laborem in se suscipit, exquisita utriusque linguæ notione non polleat.

LEX SECUNDA.

Intentio loquentis ex definitionibus ab ipso auctore statutis clarissime relucet : hæc si desint, exempla singularia quæ nonnunquam adjunguntur, præsertim si abstractionis ope in universalia transmutentur, planam viam sternunt ad detegendam auctoris mentem. Deinde magnopere attendendum

Digitized by Google

est quam sectam auctor profiteatur, cum pronissimum sit ut quis principia, quibus jam ante imbutus est, etiam in diversis rebus sequatur, ex iisque nonnulla ubicumque, data occasione, inspergat. Tandem intentio loquentis censetur respicere ea quæ ipsi magis obvia sunt et nota, id quod imprimis usu venit dum de significatione terminorum relativorum determinanda agitur. Sic magnus olim in Græcia exercitus nunc omnino parvus foret. Si audias virum esse doctum, vide an qui illud asserit sit ex natione culta an barbara.

LEX TERTIA.

Subjecta materia subsidium detegendi verum vocabulorum sensum suppeditat : ea enim propositionis aut termini significatio esse præsumitur, quæ reliquæ doctrinæ integræque rerum connexioni aptius respondet. Necesse igitur est, ut antecedentia cum consequentibus conferantur, et exquirantur loca parallela, quæ inter se comparata id quod obscurum est, non parum illustrabunt : ast ea ubi obiter dumtaxat fit mentio, sollicite discernantur ab illis, in quibus auctor copiose ac dilucide id ipsum vel probandum, vel declarandum, vel etiam refutandum sibi sumpsit, atque ex his non autem ex illis sensus verborum definiatur. Quod si, ut nonnunquam evenit, alterius interpretationi standum sit, ea cæteris paribus præferatur aliis, quæ a coævo, familiari aut discipulo ipsius auctoris proficiscitur; vel saltem ab eo qui linguæ aut disciplinæ quæ pertractatur majori præ reliquis notitia pollet.

283. Libri potissimum sunt vel *historici*, qui facta recensent, adeoque propositiones singulares continent, vel *dogmatici*, qui dogmata seu propositiones universales proponunt. Ex his alii veritates

Digitized by Google

universales, quas adstruunt, simul accurate demonstrant, et *scientifici* audiunt; alii propositiones universales absque demonstratione, vel in rebus fidei divinæ citra probationes atque argumenta ex theologicis fontibus petita, per modum historiæ solum referunt, et *historico-dogmatici* vocantur.

284. Scholion. Libri historico-dogmatici ad summum inserviunt ad disponendos auditorum animos vel ad compendiariam eorum quæ jam didiceramus recapitulationem; vera autem eruditio ex libris scientificis hauriri debet, quorum lectio, ut cum fructu fiat, sequentia exigit:

1.° *Ordinem*, qui requirit ut non pervolemus ad sequentia, nisi antecedentia rite assecuti simus et familiaria nobis reddiderimus; cum enim in libris scientificis subsequens propositio ex antecedentibus profluat, oleum et operam perdimus, si propositionem quampiam e medio arreptam aggrediamur, antequam ea quæ præcedunt, rite intellexerimus. Deinde ii prius legantur libri qui aliis intelligendis luminis quidpiam collaturi videntur. Hi autem libri vitentur qui sunt obscuri; quales erunt, si termini accurate non definiantur vel alieno in sensu usurpentur, si demonstrationum principia deficiant, si ordo demonstrandi præposterus adhibeatur, aut, omissis intermediis nec suppletu facilibus, statim et quasi per saltum ad conclusiones remotiores transvoletur, et quæ sunt similia.

2.° *Attentionem lentitudini junctam*, sine qua ideas claras et distinctas nunquam obtinebimus. Præcipitantia, cui vividiora ingenia præcipue obnoxia sunt, frequenter inutilem prorsus reddit laborem, quem lectioni librorum impendimus; hacque ratione fit, ut, evoluto integro libro, quid legerimus ignoremus, argumenti ipsius vix memores. Deinde absque meditatione nullus unquam in scientiis progressus sperari potest; omnis autem meditatio moram ac tempus requirit.

3.° *Repetitionem frequentem;* sæpius enim redeundo ad præcedentia res longe clarior evadit, contingitque frequenter, ut tum demum priora rite intelligamus quæ

Digitized by Google

tamen optime jam nos penetrasse cogitabamus. Accedit quod optatus lectionis fructus obtineri nequeat, nisi quæ legerimus memoria complectamur, cum, Tullio teste, tantum sciamus quantum memoria tenemus; jam vero quis ignorat repetitionem frequentem ad res ipsas memoriæ imprimendas mirifice et fere solum conducere.

4.° *Continuationem moraliter non interruptam;* qui enim longiori tempore lectionem inchoatam intermittit atque aliis interea rebus operam dat, novis ideis animum imbuit; unde necesse est, ut vel idearum confusio in mente oriatur, vel certe hausta jam principia ex memoria excidant : horum quidquid eveniat, nexus ille veritatum perspici amplius non potest, in quo tamen præcise fructus consistit qui ex libris scientificis percipi debet.

5.° *Applicationem*, quæ postulat, ut demonstrationes universales, quas in auctore legimus, ad casus singulares reducamus, easdem in sua principia resolvamus, ipsique tentemus in re simili similem demonstrationem conficere. Hac certo ratione argumentorum vim ac pondus perspiciemus et demonstrandi habitum nobis comparabimus : quo et illud pertinet, ut quæ meditati sumus, breviter in chartam conjiciamus, ut ea tempore opportuno cum aliis communicare possimus.

CAPUT DUODECIMUM.

De errore, ejus fontibus et remediis.

285. Qui propositioni falsæ assensum, aut veræ dissensum præbet, *errare* dicitur : hinc in ejusmodi assensu vel dissensu *error* consistit. Sic errat, qui dicit animam humanam esse corpus.

286. *Præjudicium* est anticipata quædam animoque alte infixa opinio, qua in casu quodam singulari ad erroneum judicium formandum inducimur. Sic præjudicium est illa opinio quæ vulgi animis insidet, corpori calido inesse eum quem in nobis experimur calorem.

Digitized by Google

COROLLARIUM.

287. Non male ergo inter errorum fontes recensentur præjudicia. Sunt autem opiniones ejusmodi anticipatæ diversissimæ; quæ tamen ad tres præcipue classes reduci posse videntur, quas ignorare Philosophum non decet. Sunt vero,

1.° *Præjudicia infantiæ.* Nulla hominum ætas a singularibus quibusdam erroribus ac veluti sibi propriis exempta est, sed omnium maxime hoc morbo laborat infantia; mens enim nostra omnium, ut ita dicam, rerum ignara corpus ingreditur, neque in tenera illa ætate ulli ratiocinio, sed sensationi ac phantasiæ solum locus est: unde quidquid audiunt infantes, in veris habent. Ad miseriæ cumulum accedit, quod infantium cura sæpe committatur iis, qui erroribus pleni sunt. Hinc fit ut infantes ea, quæ audierunt, dum ad adultam ætatem perveniunt, vix aut ne vix ex animo extirpare valeant.

2.° *Præjudicia opinionis receptæ*, scilicet vel propriæ, vel familiæ, vel nationis, vel patriæ, vel vulgi, vel tandem antiquitatis aut novitatis: sunt videlicet, qui sententiam pro qua semel animum obfirmarunt, pro aris et focis propugnant; sunt, qui communibus amicorum, patriæ et provinciæ suæ opinionibus abripiuntur; vulgus deinde quot præjudicia non fovet? sunt tandem, qui cum veteres nimia æstimatione prosequantur, non nisi antiqua probant, aut ab opposito quibus nihil sapit nisi quod novum est.

3.° *Præjudicia auctoritatis*, quæ ex nimia æstimatione aliorum oriuntur; quo fit, ut iis quæ non credi sed sciri deberent, ob solum testimonium eruditorum præstetur assensus. Non temere quidem viro doctrinæ fama celebri contradicendum

Digitized by Google

est, sed veritas sollicite investiganda, ut dein, re omnimode ponderata, vel cum illo consentiamus, vel ab ejus sententia modeste recedamus. Huic præjudicio omnis quidem, sed imprimis tenera ætas subjecta est; pueri enim, cum nec rei nec ipsius auctoritatis examinandæ capaces sint, simulque submissionem illam, quam in actionibus suis aliorum directioni præstare coguntur, ab ea quæ ad opiniones pertinet, non discernant, auctoritatem quamlibet seu parentum seu nutricum pro prima veritatis regula admittunt; quo fit, ut quidquid cum ea non pugnat, temere arripiant. Sed neque infantiæ aut pueritiæ annis auctoritatis imperium terminatur; sunt enim viri sæpe non ineruditi qui eidem subjiciuntur; nihil enim pronius est quam ut ea pro veris habeant, quæ a doctoribus audiunt: atque hæc est ratio, cur rarissime deserantur opiniones jam receptæ, item cur multa solo novitatis titulo rejiciantur, etc.

288. Præter præjudicia, præcipuæ numerantur sequentes

Errorum causæ.

CAUSA PRIMA.

Defectus sedulæ voluntatis rationum momenta expendendi; nempe alii inordinato voluptatum studio trahuntur, quod cum animum emolliat, eumque objecto voluptatis nimium affigat, attentionem distrahit, mentisque acumen retundit: alii nimia ad negotia sua applicatione; alii aversione quadam a meditatione ita distrahuntur, ut nunquam seriam cogitationem in animum admittant: alii metuunt

Digitized by Google

ne veritatis cognitio receptæ jam videndi rationi minus faveat. Nonnunquam affectata propriæ imbecillitatis opinio efficit ut homines animum despondeant, nihilque per se ipsos tentare audeant, atque ita cæce amplectantur quæ a majoribus tradita acceperunt.

CAUSA SECUNDA.

Affectiones animi dominantes. Nulla fere argumenta, quæ affectionibus ac desideriis nostris contraria sunt, aliquod apud nos pondus obtinere solent: neque hoc mirum est: cum enim vivacior in nobis impressio omnem ad se rapiat attentionem, fieri nequit, ut mens affectu aliquo agitata aliquid aliud videat quam quod cum eo connexum est aut viciniorem relationem habet, aliterque sibi res repræsentet quam prout ab affectione depinguntur. Hinc nunquam judicium feras nisi dum animus ab omni affectionum æstu est liberatus. Sic qui de homine aliquo judicare debet qui ei amicus est, inspiciat quid ex propositis argumentis concluderet, si de inimico ageretur, et vicissim.

CAUSA TERTIA.

Nimia ingenii ac perspicacitatis fiducia. Qui hoc vitio laborant, a solida rationum investigatione abstinent, ac quavis primo occurrente contenti statim sibi satisfaciunt: cumque tamen sciendi cupiditate teneantur, magis de rerum copia quam de doctrinæ soliditate solliciti sunt, atque inde oritur præcipitantia, amplissimus errorum fons.

CAUSA QUARTA.

Voces ipsæ. Et 1.° quidem propter æquivocationem; quod præsertim obtinet dum res per

Digitized by Google

vocem æquivocam designatæ aliquam inter se relationem habent. Cùm ergo vocibus æquivocis utimur, auditor vel lector præmoneatur quo in sensu iis utamur, nisi res per se clara sit: quod tunc præcipue fieri debet, dum in continuo sermonis decursu eamdem vocem in diversa significatione adhibemus; nec facile præsumendum, audientem id ex adjunctis satis colligere posse, cum auditorum mens sensui semel stabilito intenta sæpe ad ea adjuncta non reflectat.

2.° Propter ambiguitatem significationis; cum enim ideæ vocibus respondentes ut plurimum complexæ sint, atque complexio hæc in variis hominibus varia sit: hinc idem vocabulum in ore diversorum diversum idearum partialium complexum, adeoque diversam ideam significat. Exemplo sint voces *justum*, *injustum*, *honor*, *gloria*, *pes*, *virga*, *leuca*, *magnus*, *parvus*, et centenæ aliæ, quibus in diversis hominibus diversus idearum complexus respondet. Huic porro obscuritati ex naturali vocum imperfectione oriundæ medemur, 1°. accurata vocabulorum definitione; 2°. adhibendo vocabulum synonimum, quod vulgo notius esse solet; 3°. semper et certius designando subjectum aliquod auditori non incognitum, in quo objectum illius ideæ deprehenditur. Si hæc remedia semper adhiberentur sopiri nonnunquam uno momento possent lites, quæ magna sæpe partium contentione agitantur.

Tandem 3°. per earumdem abusum, qui committitur, 1°. dum vocabulis ideam claram et distinctam non affigimus, aut, quod deterius est, prorsus nullam. Vitium hoc puerilibus annis præcipue suam debet originem. Huic vitio ut medeatur Philosophus, omnes, quibus utitur, terminos ad incudem revocet; nullo deinceps utatur, quin ex

Digitized by Google

ex Metaphysica et præcipue Ontologia ei ut minus ideam claram et, quantum fieri potest, distinctam subjiciat. Ad hoc quoque conducet frequens conversatio cum iis qui distinctas præcisasque ideas quibus imbuti sunt, claris nitidisque verbis exponere consueverunt; 2°. dum obscuritatem de industria affectamus, captantes inde reconditæ cujusdam ac sublimioris doctrinæ famam. Id potissimum fit adhibendo vocabula barbara aut peregrina, vel utendo terminis receptis in nova et inusitata significatione. Quamvis enim terminorum significatio originaliter arbitraria sit, positis tamen rebus in eo quo jam sunt statu, quisque, audito aliquo vocabulo, eam continuo ideam ei subjicit, quam ex usu communi ei subjectam novit; qui ergo vocabulo in alia significatione utitur, loquitur ita, ut non intelligatur.

289. Scholion 1. Quænam sit usitata vocabulorum significatio a consuetudine vulgi desumendum non est; sed hi potius attendendi sunt, qui studio et labore perfectiores de rebus ideas sibi compararunt, et in quorum scriptis et sermonibus accuratior vocabulorum usus communi doctorum suffragio elucet.

290. Scholion 2. Quamvis sermonis accuratio vocabula usitata requirat, id tamen rerum et idearum novitas non semper patitur : cum enim scientiæ nova continuo incrementa accipiant, necesse est ut multa successu temporis inveniantur, quæ primis linguarum institutoribus incognita fuerunt, ad quæ proinde significanda antiquitas nullas nobis voces transmisit : in ejusmodi ergo casibus licebit recentibus ac minus etiam elegantibus vocabulis uti; quinimo, si necessitas id postulat, de novo confingere; modo ideam quam communicatam volumus, accurate determinemus. Hinc minus recte agunt illi qui terminos technicos, sive vocabula artium, ea scilicet, quæ in quavis arte ac disciplina recepta sunt, universim omnia, eo quod cum debita sermonis elegantia non cohæreant, expuncta volunt :

Digitized by Google

id genus enim voces eo potissimum fine inventæ sunt, ut magno compendio id convenientissime significent, quod secus nonnisi per magnas ambages, longasque periphrases explicari posset.

291. *Sapiens dubitatio* est retentio judicii, dum veritas menti non satis relucet, donec ea accuratiore examine melius investigetur. Est autem universale contra omnia præjudicia erroresque undecunque oriundos remedium; qui enim, veritate non satis relucente, judicium suspendit, non sequitur in judicando opiniones anticipatas, nec judicium fert antequam convenientiam vel disconvenientiam prædicati cum subjecto clare perspexerit.

292. Scholion. Cum præjudicia et errores ex animo extirpari non posse videantur nisi per sapientem dubitationem, recte monuit Carthesius studium philosophicum ab ea esse inchoandum; quod ita tamen accipiendum est, ut dubium illud neque ad certa et per se evidentia, neque ad sanctissima Religionis nostræ mysteria, in quibus temerarium foret vel pro minimo momento dubitare, extendatur. Dein etiam in rebus agendis ubi operandi necessitas adest, frequenter sola verisimilitudine contenti esse cogimur. Extra hos casus, remedio hoc ita utatur Philosophiæ tyro, ut mentem suam paulatim ac veluti per gradus exuat omnibus, quas anteactæ vitæ consuetudine arripuit, opinionibus, nullamque earum amplius in veris habeat, nisi maturo prius examine probatam. Hinc in omnibus occasionibus ubi serio res aliqua perpendenda est, sollicite despiciat utrum principia ex quibus opinio sua profluit, aliquando accurate expenderit. Dein cum audit sibi contradici ab aliis et oppugnari opiniones, quas adhuc in certis habet, rursum indaget, an unquam argumenta suæ opinionis in examen vocaverit; id si factum non esse deprehendatur, tum fiat, simulque oppositæ sententiæ rationes examinentur.

Digitized by Google

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

De concertatione litteraria.

293. Qui efficit ut alteri veritas fiat certa, *convincit*, alter vero *convincitur*: qui alterius sententiam demonstrat esse falsam, *refutat* seu *refellit*; qui vero insufficienter tantum propositionis falsitatem probat, *impugnat*.

294. *Concertatio litteraria* fit, dum alter alterius sententiam vel refutat vel impugnat. Propositio in quæstionem vocata *thesis* nuncupatur.

295. Concertantium igitur unus negat, quod alter affirmat; atque hinc sibi contradicunt: unde tritum illud: *Concertantes versantur in terminis contradictoriis.*

296. Scholion. Plura sunt quæ generatim in omni concertatione utiliter observari possunt ac debent, quorum aliqua pro instituto paucis hic attingemus.

LEGES CONCERTATIONIS LITTERARIÆ.

LEX PRIMA.

Concertatio litteraria amore dumtaxat veritatis vel inveniendæ vel amplius cognoscendæ instituenda est: proin procul abesse debent omnis inordinata affectio, partium studium, et quæcumque veritatis inventionem magis impediunt quam promovent. De iis igitur rebus quarum aliunde jam certa habetur veritas, aut quæ humani ingenii captum superant, concertatio instituenda non est.

LEX SECUNDA.

Status controversiæ primo omnium loco verbis usitatissimis et maxime aptis explicetur et prorsus nitide exponatur; quod nisi fiat, pronum est ut

Digitized by Google

in partes prorsus contrarias abeant concertantes, nec sese mutuo intelligant, totaque tandem concertatio in inutilem de vocabulo litem degeneret.

LEX TERTIA.

Concertantibus sint quædam principia, in quibus conveniunt; cum enim conclusioni majus robur competere nequeat quam principio unde ea profluit; nisi istud sit adversario certum, nunquam hic de conclusionis veritate convinci poterit. Sic Judæum convincere nequeo ex libris Novi Testamenti, cum hic eorum divinitatem neget. Quando autem principiis falsis uti licet, ante dictum fuit (265).

LEX QUARTA.

Refutaturus alterius sententiam, vel ipsam immediate, vel principia ex quibus adversarius eam deducit, aggrediatur. Primum demonstratione directa vel indirecta confici poterit, idque versando sive circa ipsam sententiam, sive circa consectarium illius, modo hoc plane ac legitime ex ipsa profluat; vel secundo ipsa principia refellendo; vel iis gratis admissis, ostendendo thesim ex iis non legitime sequi.

LEX QUINTA.

Qui in concertatione tuetur partem negativam, non tenetur aliam negationis suæ rationem reddere quam quod argumenta adversarii nihil probent: id vero non obtinetur generalibus dubiisque responsis, sed omnino necesse est, ut ea solide refutentur.

LEX SEXTA.

Qui propositionem suam veram esse, aut oppositam quam negat, impossibilem demonstravit, ad nihil amplius tenetur; nec prudenter cogi potest, ut respondeat objectionibus quæ a pertinacibus ac scepticis accumulari solent.

Finis secundæ partis.

Digitized by Google

APPENDIX

THESIUM AD LOGICAM SPECTANTIUM.

THESIS PRIMA.

Idea rei cujusdam haberi potest, quamvis ei tribuantur notæ essentialibus ejus repugnantes.

PROBATUR thesis. Ut quis ideam claram rei cujusdam habeat, requiritur et sufficit, ut tales istius rei notæ in mente ejus repræsententur, quibus res ea ab omni alia distingui valeat; atqui possunt tales notæ in mente ejus repræsentari, etiam eo tempore, quo ei tribuuntur notæ essentialibus ejus repugnantes, modo non videatur repugnantia: ergo etc.

Probatur subsumptum. Dum non videtur repugnantia, nihil est quod priorum notarum repræsentationem vel impediat vel destruat; ergo etc. Sic si quis primis tantum geometriæ principiis, rite tamen imbutus, in triangulo duos angulos rectos statuat, is non propterea statim trianguli idea prorsus destituetur.

OBJECTIO.

Secundum thesim, qui conciperet Deum ut corporeum, posset habere ideam Dei: atqui hoc dici non potest: ergo nulla thesis.

Prob. minor. Cujusdam rei idea deceptrix non est idea illius rei: atqui in casu objecto idea Dei foret deceptrix: ergo etc.

Respondetur distinguendo minorem. Atqui in casu objecto idea Dei foret deceptrix, quatenus

Digitized by Google

repræsentaret notas inter se repugnantes ut conjunctas in eadem re, concedo subsumptum: quatenus consideratur ut repræsentans veras notas Dei, nempe summam perfectionem, omnipotentiam, etc., nego subsumptum.

INSTABIS 1°.

Idea quæ termino inani exprimitur est deceptrix: atqui idea Dei in casu objecto termino inani exprimitur: ergo est deceptrix.

Prob. subs. Deus corporeus est terminus inanis; atqui Deus concipi supponitur ut corporeus: ergo ejus idea in casu objecto termino inani exprimitur.

Resp. dist. consequens: ergo idea Dei exhibens divinitatem et corpus ut conjuncta, termino inani exprimitur, concedo totum: ergo idea exhibens Deum ut ens summe perfectum, termino inani exprimitur, nego consequentiam. Notandum itaque idiotam illum habere duas ideas; unam primariam, in qua nihil repræsentatur præter summam Dei perfectionem; alteram secundariam, in qua summa perfectio et corporeitas ut conjuncta repræsentantur: jam vero admittimus ideam illam secundariam esse deceptricem, et terminum correspondentem inanem: primaria autem est vera Dei idea, cum per illam Deus a re quacunque alia sufficienter distinguatur.

INSTABIS 2°.

Atqui nec idea illa primaria est vera idea Dei; ergo nulla solutio.

Prob. subs. Falso supponit solutio quod Deus in casu objectionis concipi possit ut ens summe perfectum.

Prob. assumptum. Si quis figuram quamdam conciperet ut quadratam, illam non posset sibi repræ-

Digitized by Google

sentare ut circulum: ergo qui objectum aliquod concipit ut corporeum, non potest illud sibi repræsentare ut summe perfectum.

Prob. consequentia. Non minus repugnat ut idem objectum sit simul summe perfectum et corporeum, quam ut eadem figura sit simul quadrata et circularis: atqui qui figuram quamdam conciperet ut quadratam: non posset illam sibi repræsentare ut circulum; ergo nec ille qui objectum aliquod concipit ut corporeum, potest illud sibi repræsentare ut summe perfectum.

Resp. dist. consequens. Si eodem modo videat repugnantiam inter esse corporeum et esse summe perfectum, quo perspicit repugnantiam inter esse rotundum et quadratum, concedo totum: si hominem rudem et idiotam supponas, qui repugnantiam illam ignorat, nego consequentiam. Disparitas itaque est, quod figuræ, quæ circulus esse supponitur, haberi idea nequeat, nisi repræsentetur ut rotunda; porro quia manifesta est omnino repugnantia inter esse rotundum et simul quadratum, rotunditatis repræsentatio eo ipso impeditur, quo figura ista ut quadrata concipitur; ergo tunc circuli nulla habetur idea: verum non evidens adeo est repugnantia inter corporeitatem et summam perfectionem, quin aliquem, præsertim idiotam, latere possit: quo casu summa perfectio adhuc repræsentari poterit, licet ens illud corporeum esse putetur. Patet hoc in exemplo trianguli in probatione thesis allegato.

INSTABIS 3°.

Atqui nequit summa perfectio in casu repræsentari; ergo nulla solutio.

Prob. subs. Qui conciperet ens aliquod ut creaturam, non posset illud concipere ut summe perfectum: ergo neque qui concipit ens aliquod ut corporeum, potest illud concipere ut summe perfectum.

Digitized by Google

Prob. consequentia. Quidquid corporeum est, creatura est; atqui qui concipit ens aliquod ut creaturam, non potest illud concipere ut summe perfectum: ergo neque qui concipit ens aliquod ut corporeum, potest illud concipere ut summe perfectum.

Resp. negando consequentiam et paritatem. Disparitas est, quod tam manifesta sit repugnantia inter esse creaturam et esse ens summe perfectum, ut neminem, quantumvis idiotam, latere possit; sed remota tantum est oppositio quæ intercedit inter esse corporeum et esse summe perfectum; licet enim omne corpus a parte rei sit creatura, fieri tamen potest ut nexus ille non percipiatur; hic siquidem non detegitur nisi per discursum quemdam, cujus homines paulo rudiores ut plurimum sunt incapaces.

INSTABIS 4°.

Atqui debet etiam idiota videre repugnantiam quæ datur inter summam perfectionem et corporeitatem.

Prob. subs. Idiota tribuens Deo corpus, eo ipse concipit Deum ut imperfectum.

P. A. Experitur corpus suum multis imperfectionibus esse obnoxium; ergo eo ipso quo concipit Deum ut corporeum, concipit ipsum pariter ut imperfectum.

Resp. negando consequentiam: et ratio est, quod idiota Deo non tribuat corpus, quale est nostrum, sed corpus aliquod altioris ordinis, subtilissimum, elegantissimum, verbo, tale, quod saltem in mente ejus nullam imperfectionem involvit.

INSTABIS 5.°

Non minus corporeitas repugnat Deo quam Angelo; atqui concipiens Angelum ut corporeum, non haberet ideam Angeli: ergo concipiens Deum ut corporeum, non haberet ideam Dei.

Digitized by Google

Resp. negando consequentiam et paritatem. Disparitas est, quod concipiens Angelum ut corporeum, non ideo perdat ideam Angeli quod illum concipiat ut corporeum; sed ideo, quia tunc in Angelo nihil concipit, quo eum distinguat ab omni alia re, v. g. ab homine; jam autem ad habendam ideam alicujus rei debet absolute concipi aliquid, quo res illa ab omni alia distinguatur; atqui hoc fit in casu thesis, cum idiota concipiat Deum ut ens perfectissimum, eumque ita ab omni alia re distinguat. Quod si quis conciperet Angelum ut spiritum creatum ad laudandum Deum opemque ferendam hominibus in negotio salutis, etc. ille etiam retineret ideam Angeli; quamvis ipsi corpus affingeret.

INSTABIS 6.º

Saltem idiota ille est idololatra.

P. A. Ille dicitur idololatra, qui adorat aliquam creaturam tamquam Deum seu tamquam ens perfectissimum; atqui hoc facit vester idiota.

P. S. Adorat ens perfectissimum, quod putat esse corporeum; ergo adorat corpus seu creaturam, quam existimat esse ens perfectissimum: ergo adorat corpus seu creaturam tamquam Deum.

R. N. C. Ratio est, quod idiota non dirigat suum cultum ad corpus, sed unice ad ens perfectissimum: quod autem existimet illud ens esse conjunctum corpori, non ideo est idololatra, ut patet in persona Verbi incarnati; aliud est de illo qui adorat creaturam quam putat esse ens perfectissimum; talis enim dirigit suum cultum ad corpus, quia corpori attribuit summam perfectionem; unde corpus tamquam fundamentum summæ perfectionis adorat. Nihil simile est in idiota, qui profecto non putat Deum habere summam perfectionem ratione corporis; unde adorando Deum ut ens perfectissimum, non adorat corpus.

Digitized by Google

THESIS SECUNDA.

Proposito indefinita reducenda est ad universalem, nisi factum exprimat, quo casu ad particularem reducenda est.

Propositio indefinita factum exprimens omnium consensu ad particularem reducenda est, facta enim sunt particularium, aliquibus non omnibus competentia; sic hæc: *Latrones spoliaverunt Petrum*, omnibus assentientibus reducenda est ad hanc: *Aliqui latrones spoliaverunt Petrum.* Itaque

Prob. prima pars thesis 1.° Terminus communis ex natura sua importat omnia individua quibus convenit; atqui subjectum propositionis indefinitæ est terminus communis: ergo subjectum istius propositionis naturaliter stat pro omnibus suis individuis; adeoque propositio indefinita ad universalem est reducenda.

Facile hoc omnes admittunt cum propositio versatur in materia necessaria, seu dum prædicatum est nota constans subjecti; sed non cum propositio indefinita versatur in materia contingente, seu cum prædicatum est nota mutabilis subjecti: quia, inquiunt, nota talis nunquam omnibus subjecti individuis convenit; verum eadem utriusque propositionis forma eamdem naturaliter expositionem postulat: ex assignata vero ratione solum hoc sequeretur, propositiones indefinitas in materia contingente reducendas tantum esse ad *moraliter universales*, quod et nos ipsi statuimus; ast hoc etiam in propositionibus vere universalibus locum habet, quod ex circumstantiis determinari debet.

Prob. prima pars 2.° Ex communi hominum consensu judicandum est quis sit alicujus propositionis sensus; atqui tam proferens propositionem indefinitam in materia contingente quam audiens: eam inter universales habet: ergo etc.

Digitized by Google

P. S. Hæ propositiones : *Homines sunt nigri*, *Ursi sunt albi*, sunt indefinitæ et versantur in materia contingente : atqui ex communi hominum consensu illæ inter universales habentur.

P. S. Dictæ propositiones habentur ab omnibus ut falsæ; atqui non forent falsæ, si ad particulares reducerentur, cum revera aliqui homines sint nigri et aliqui ursi sint albi : ergo communi hominum consensu inter universales habentur. Tales propositiones omnium hominum apprehensione universalibus æquivalere magis adhuc convincetur quisquis eas in vernaculam linguam transtulerit.

Nota. Patet id adhuc clarius in sequentibus propositionibus : *Germani sunt robusti*, *Itali sunt suspicaces*, aliisque similibus; in quibus sane omnium consensu aliquid speciale de nationibus illis asseritur; nihil autem speciale assereretur si ad particulares reducerentur, cum etiam inter alias nationes aliqui sint robusti, aliqui suspicaces : verum non placuit eas in thesis demonstratione assumere, cum non ignoremus quosdam contrariæ sententiæ patronos quoad similes propositiones nobis consentire.

OBJECTIO.

Datur propositio indefinita in materia contingente, quæ habetur ut vera, et tamen vera non est nisi reducatur ad particularem : ergo datur propositio indefinita in materia contingente quæ reducenda est ad particularem.

Prob. antecedens. Hæc : *Batavi sunt experti nautæ*, est indefinita in materia contingente : atqui tamen vera non est, nisi reducatur ad particularem.

P. S. Verum non est quod omnes moraliter Batavi sint experti nautæ, sed aliqui tantum sunt tales : ergo dicta propositio vera non est, nisi reducatur ad particularem.

Digitized by Google

Resp. negando consequentiam. Ratio est quod subjectum istius propositionis ex intentione loquentis restringatur per partem prædicati, ita ut sensus sit : Batavi, qui sunt nautæ, sunt ut plurimum experti nautæ : quod verum est.

INSTABIS 1.°

Hæc propositio : *Homines sunt albi*, est indefinita in materia contingente; atqui reducenda est ad particularem.

P. S. Quotiescunque quis loquitur, præsumitur velle vera loqui, nisi constet de contrario : atqui illa propositio tunc solum vera est, dum habet sensum particularem : ergo etc.

Resp. negando subs. Licet enim non constaret aliquem scienter velle falsa loqui, ex communi tamen loquendi modo satis innotescit propositionem illam esse falsam, cum sensus ejus naturalis et obvius postulet ut intelligatur universaliter : etenim non semper dandus est ille sensus propositioni, qui illam redderet veram; sed inquirendum est quis illius sit sensus obvius, quidque verba importent ex communi loquendi modo : tumque demum de veritate aut falsitate judicandum est.

INSTABIS 2°.

Hæc : *Sunt homines albi*, ad particularem reduci debet; ergo et hæc : *Homines sunt albi.*

Resp. negando consequentiam et paritatem. Disparitas est, quod prima propositio non sit indefinita prout secunda; etenim non tantum particula *aliquis* aut similis reddit propositionem particularem, sed et aliæ, v.g. *sunt*, *dantur*, *inveniuntur*, etc., quæ in initio propositionis positæ eam particularem reddunt; tales sunt hæ : *Sunt juvenes constantes. Dantur libri prohibiti.*

Digitized by Google

INSTABIS 3.°

Si propositio indefinita in materia contingente reduci debeat ad universalem, ejus contradictoria reducenda erit ad particularem : ergo dantur propositiones indefinitæ quæ ad particulares reduci debent.

Prob. consequentia. Contradictoria propositionis indefinitæ est etiam indefinita ; atqui contradictoria propositionis universalis est particularis : ergo dantur propositiones indefinitæ quæ ad particulares reduci debent.

R. N. C. Nam dum propositio aliqua indefinita consideratur ut contradictoria alterius indefinitæ, jam propositio illa determinatur ad certum sensum, sicque non amplius est indefinita. Hoc præsertim locum habet in propositionibus negativis, quæ sæpius respectum dicunt ad affirmativas, quarum sunt contradictoriæ ; et sic hæc propositio : *Senes sunt laudatores temporis acti*, significat senes ut plurimum esse tales : si vero quis se opponat et dicat : *Senes non sunt laudatores temporis acti*, sensus ejus erit quod plures senes non sint tales.

THESIS TERTIA.

Omnes propositiones veræ sunt æque veræ ; sed inter falsas una est falsior altera.

Demonst. prima pars. Ad veritatem propositionis requiritur ut omne ejus assertum subsistat prout asseritur, sive requiritur omnimoda conformitas propositionis cum suo objecto ; atqui nulla potest esse major conformitas quam omnimoda : ergo omnes propositiones veræ sunt æque veræ. Sic omnes lineæ rectæ sunt æque rectæ, quia scilicet rectitudo lineæ rectæ debet esse omnimoda.

Digitized by Google

Demonstratur secunda pars. Ut aliqua propositio sit falsa, requiritur et sufficit ut aliquod ejus assertum non subsistat prout asseritur, sive ut propositio aliquo modo sit deformis suo objecto; atqui propositio una potest in pluribus esse deformis suo objecto quam altera, hoc est, potest asserere plures falsitates quam altera : ergo etc. Sic inter lineas curvas una est curvior altera, quia una curva potest plus recedere ab omnimoda rectitudine quam altera.

OBJECTIO I.

Una propositio asserit plures veritates quam altera : ergo una est verior altera.

Prob. consequentia. Propositio dicitur vera ob veritates quas asserit; atqui inter propositiones veras una asserit plures veritates quam altera : ergo una est verior altera.

R. D. C. Ergo una est verior altera *extensive*, seu se extendit ad plures veritates quam altera, concedo totum : ergo una est verior altera *intensive*, id est, objecto suo magis conformis, nego consequentiam.

INSTABIS I°.

Atqui una est verior altera etiam intensive : ergo nulla distinctio.

P. S. Veritas propositionis consistit in conformitate ejusdem cum suo objecto; atqui conformitas illa potest esse major vel minor.

P. S. Similitudo unius hominis cum altero potest esse major vel minor : ergo etiam conformitas propositionis cum suo objecto potest esse major vel minor.

Prob. consequentia, a pari.

Digitized by Google

R. N. C. et P. Disparitas est, quod similitudo duorum hominum consistat in quibusdam qualitatibus, quæ utrique conveniunt; unde quo plures qualitates seu notæ utrique communes sunt, eo magis homines illi sibi similes sunt: verum conformitas propositionis cum suo objecto, quæ ejus veritatem constituit, debet esse omnimoda; proinde nullos gradus admittit.

INSTABIS 2.°

Atqui conformitas propositionis cum suo objecto non debet esse omnimoda, ut propositio vera sit: ergo nulla solutio.

P. S. Hæc propositio: *Joannes est doctus*, habetur ut vera, quamvis Joannes sit doctus et probus; atqui tamen non est omnimode conformis suo objecto.

P. S. Ex hypothesi Joannes est doctus et probus; atqui propositio illa tantum asserit Joannem esse doctum: ergo non est omnimode conformis suo objecto.

R. N. C. Et ratio est, quod ut propositio sit omnimode conformis suo objecto, non requiratur ut asserat totum quod objecto convenit, sed tantum ut totum quod asserit objecto conveniat, seu ut totum ejus assertum subsistat, prout asseritur.

INSTABIS 3.°

Hæc propositio: *Joannes vel Petrus currit*, verior est utroque currente quam currente solo Joanne.

P. A. Quia primo casu vera est ratione cursus utriusque, secundo autem casu ratione cursus solius Joannis: ergo primo casu verior est quam secundo casu.

Digitized by Google

R. N. C. Nam propositio illa tantum asserit alterutrum currere; quod æque verum est currente unico quam currente utroque.

OBJECTIO II.

Hæc: *Deus existit*, verior est quam hæc: *Joannes existit:* ergo nulla thesis.

P. A. Prima sic vera est, ut non possit esse falsa: atqui secunda potest esse falsa: ergo prima est verior secunda.

R. N. C. Nam prædicatum secundæ æque convenit suo subjecto ac prædicatum primæ suo, licet non eodem modo; nam prædicatum primæ convenit *necessario* suo subjecto, prædicatum secundæ vero *contingenter* tantum; sed modus quo prædicatum convenit subjecto non auget nec minuit propositionis veritatem.

OBJECTIO III.

Inter actiones bonas datur una melior altera: ergo inter propositiones veras datur una verior altera.

P. C. Sicuti ut propositio vera sit requiritur omnimoda ejus conformitas cum objecto, ita actio, ut bona sit, debet esse omnimode conformis regulis morum; atqui inter actiones bonas datur una melior altera: ergo inter propositiones veras datur una verior altera.

Prob. consequentia, a pari.

R. N. C. et P. Disparitas est, quod bonitas actionis non unice consideretur ex conformitate sua cum regulis morum; sed insuper ex fine ob quem actio suscipitur, atque ex effectibus qui ex ea sequuntur aut sequi nati sunt: sed veritas propositionis unice desumitur ab omnimoda conformitate cum suo objecto.

Inter

Digitized by Google

OBJECTIO I. contra 2dam partem.

Inter veras non datur una verior altera: ergo inter falsas non datur una falsior altera.

P. C. Contradictoria propositionis veræ est falsa; atqui omnes veræ sunt æque veræ: ergo earum contradictoriæ sunt æque falsæ.

R. N. C. Licet enim propositiones falsæ dum unice spectantur ut contradictoriæ verarum, et in quantum negant omnimodam conformitatem propositionis cum suo objecto, haberi possint omnes ut æque falsæ; quia tamen sæpe positive asserunt aliquas falsitates, una quidem plures, altera pauciores; hinc una est falsior altera, cum singula falsitas asserta reddat propositionem positive falsam.

INSTABIS.

Atqui quod una asserat plures falsitates quam altera, hoc nihil facit: ergo etc.

P. S. Ex duobus hominibus, qui mortui sunt ob vulnera, neuter potest dici magis mortuus quam alter, licet plura vulnera unus accepisset quam alter: ergo ex duabus propositionibus, quæ falsæ sunt propter falsitates assertas, nulla potest dici falsior altera, licet una plures assereret falsitates quam altera.

Prob. consequentia, a pari.

R. N. C. et P. Disparitas est, quod vulnera non constituant mortem, sed illam tantum causent; ubi falsitas asserta formaliter constituit deformitatem propositionis cum suo objecto; adeoque per plures falsitates assertas constituitur major deformitas.

OBJECTIO II.

Non minus veritas distat a falsitate, quam falsitas a veritate; atqui propter majorem distantiam falsitatis a veritate, falsitas major dicitur: ergo propter majorem distantiam veritatis a falsitate, veritas dicenda est major.

I

Digitized by Google

Resp. 1.° Si argumentum concluderet, etiam posset dici non omnes lineas rectas esse æque rectas, ex eo quod non omnes curvæ sint æque curvæ; quia non minus rectitudo distat a curvitate, quam curvitas a rectitudine.

R. 2.° N. C. Ratio est, quod veritas sit indivisibilis et quasi centrum aliquod, a quo dum plus minusve receditur, major vel minor falsitas oritur: igitur falsitas est quidem recessus a veritate, sed veritas dici nequit recessus a falsitate; sicuti curvitas a rectitudine, non vero rectitudo a curvitate recedit.

THESIS QUARTA.

Nulla propositio potest de vera transire in falsam, nec vicissim.

Sensus est, quod nulla propositio quoad significationem eadem manens, possit uno tempore esse vera et altero falsa: quæstio proinde non est de propositione necessaria, quæ sic est vera ut non possit esse falsa; neque de propositione impossibili, quæ sic est falsa ut non possit esse vera: tota igitur difficultas versatur circa propositionem contingentem, de qua.

Demonstr. thesis. Ut propositio contingens sit vera, debet totum quod asserit a parte rei subsistere pro tempore importato per propositionem; atqui dum propositio manet eadem, totum quod asserit propositio vera a parte rei subsistit pro tempore per propositionem importato: ergo dum propositio manet eadem, idem præcise tempus importat, et eodem tempore idem plane asserit.

OBJECTIO I.

Propositio quæ uno tempore vera est, et altero falsa, de vera transit in falsam; atqui datur propositio quæ nunc vera est, nunc falsa: ergo datur propositio quæ de vera transit in falsam.

Digitized by Google

Prob. major. Suppone Joannem hora prima sedere, et hora secunda stare: tali casu hæc propositio: *Joanes sedet*, prolata hora prima erit vera, prolata hora secunda erit falsa: ergo illa propositio de vera transit in falsam.

R. D. C. Ergo illa propositio, manens eadem *materialiter*, transit de vera in falsam, concedo totum: manens eadem *formaliter*, nego consequentiam.

INSTABIS 1.°

Atqui illa propositio manet eadem formaliter: ergo nulla distinctio.

P. S. Propositio manet eadem formaliter, dum manet idem subjectum, idem prædicatum et eadem copula; atqui in casu objecto inprimis manet idem subjectum et eadem copula, atque manet etiam idem prædicatum.

R. D. S. Atqui in casu objecto manet idem prædicatum *materialiter*, concedo subsumptum: *formaliter*, nego subsumptum: prædicatum enim est terminus complexus, cum sensus propositionis sit hic: *Joannes est ille qui sedet tempore quo profertur propositio:* ergo propter diversum tempus quo profertur propositio, diversa etiam est significatio prædicati.

INSTABIS 2.°

Atqui significatio prædicati non mutatur, licet propositio diversis temporibus proferatur: ergo nulla solutio.

P. S. Subjectum et copula non mutant significationem: ergo nec prædicatum.

R. N. C. et P. Disparitas est, quod subjectum significet Joannem secundum se abstrahendo ab omni tempore, et copula importet solum assensum, quem mens præstat connexioni extremorum; sed prædicatum, utpote terminus complexus, præter

Digitized by Google

sessionem significat tempus sessionis, quod et tempus quo profertur propositio.

INSTABIS 3.°

In propositione contingente prædicatum non importat tempus : ergo nulla solutio.

P. A. Prædicatum non importat tempus in propositione necessaria : ergo nec in contingente.

R. N. C. et P. Disparitas est, quod in propositione necessaria verbum *est* non importet tempus existentiæ extremorum, sed unice assensum mentis convenientiæ prædicati cum subjecto præstitum : ubi in propositione contingente verbum *est* præter illum assensum ulterius importat tempus existentiæ extremorum, quod tempus potest referri ad prædicatum tamquam ejus affectio, quodque adeo ut pars prædicati considerari potest.

INSTABIS 4.°

Hæc propositio : *mortui resurgunt*, est contingens; atqui tamen hoc tempore prolata idem significat quod significabat tempore Christi Domini : ergo propositio contingens diverso tempore prolata potest manere eadem.

R. D. C. Potest manere eadem, si proferatur semel *assertive*, et semel *recitative*, concedo totum : si diversis temporibus proferatur assertive, nego consequentiam; nam dum propositio aliqua recitative profertur, non importat tempus quod per verbum *est* secundum se significatur, sed illud ad quod loquens respexit dum illam proferebat.

OBJECTIO II.

Datur propositio contingens : ergo datur propositio quæ de vera potest transire in falsam.

P. C. Propositio contingens est illa, quæ potest esse vera et falsa; atqui non potest esse vera et falsa eodem tempore : ergo debet propositio illa esse vera et falsa *successive*, seu de vera transit in falsam.

Digitized by Google

R. N. C. Propositio contingens dicitur posse vera esse et falsa hoc sensu, quod prædicatum et subjectum, attentis solum eorum essentialibus, possint sibi convenire vel non convenire, sive quod nec necessaria nec impossibilis inter ipsa sit conjunctio: quocum recte consistit quod, dum conjunctio illa subsistit, eadem non possit non subsistere quamdiu manet eadem propositionis significatio.

INSTABIS.

Atqui propositio contingens potest de vera transire in falsam.

P. S. Propositio est signum judicii; atqui potest signum de vero transire in falsum.

P. S. Hedera præ foribus suspensa, dum adest vinum venale, est signum verum: atqui dum vinum non adest, est signum falsum: ergo signum potest de vero transire in falsum.

R. N. C. Ratio est, quod signum illud diverso tempore consideratum, non sit idem signum; etenim diversam diverso tempore habet significationem, seu non est idem formaliter signum: sic dum hodie spectatur, significat hodie vinum esse venale; et dum alio die, significat isto alio die esse vinum venale, et quidem pro momento temporis quo spectatur.

THESIS QUINTA.

Mens neutri duarum contradictoriarum assentiri valet, si illas ut æque probabiles apprehendat.

Hujus veritas patet ex ante dictis, et præsertim ex N.° 246; unde sit.

OBJECTIO.

Mens assentiri potest, dum habet motivum sufficiens ad assensum; atqui in casu thesis habet motivum sufficiens ad assensum: ergo nulla thesis.

Digitized by Google

Prob. minor. Habet motivum probabile; atqui motivum probabile est sufficiens ad assensum: ergo etc.

R. D. S. Atqui motivum probabile est sufficiens ad assensum, dum non est impeditum per æqualem aut majorem probabilitatem suæ contradictoriæ, concedo subs.: si sit impeditum, prout in casu thesis, nego subsumptum.

INSTABIS 1.°

Atqui motivum probabile in casu thesis non impeditur per æqualem probabilitatem contradictoriæ: ergo nulla solutio.

P. S. Duo objecta æque bona, v.g. duo aurei æque boni alicui proponantur; tali casu bonitas unius aurei non impedit quominus judicet alterum esse bonum: ergo etiam in casu thesis æqualis probabilitas unius non impedit motivum probabile alterius.

R. N. C. et P. Disparitas est, quod illi duo aurei possint esse simul boni; adeoque motiva probantia 1.um esse bonum non probant 2.um esse malum; nihil igitur impedit quominus propter motiva probantia 2.um v.g. esse bonum, illius bonitati præstetur assensus: aliud autem est de contradictoriis; cum enim hæ non possint esse simul veræ, motiva probantia primam esse veram, eodem tempore probant secundam esse falsam; adeoque cum paria veritatis indicia probent secundam esse veram et primam falsam, neutra apparet menti potius vera quam falsa, et proinde neutri illarum assentiri potest.

INSTABIS 2.°

Atqui quod duæ contradictoriæ non possint esse simul veræ, hoc nihil facit; ergo nulla disparitas.

P. A. Pone aliquem constitutum in bivio, cujus una via ducit ad terminum, altera ab eodem abducit; pone ulterius quod illi æque probabiles

Digitized by Google

sint hæ duæ propositiones : *hæc via ducit ad terminum*, et, *eadem hæc via non ducit ad terminum*; tali casu poterit ille alterutram viam ingredi : ergo quod duæ contradictoriæ non possint esse simul veræ, non ideo probabilitas unius impedit motivum probabile alterius.

P. C. Sicuti duæ contradictoriæ non possunt esse simul veræ, ita illæ duæ viæ, in casu posito, non possunt esse simul bonæ; atqui tamen æqualis probabilitas bonitatis viarum non impedit, quominus ille alterutram ingredi possit : ergo nec in casu thesis probabilitas unius contradictoriarum impedit motivum probabile alterius.

P. C. a pari.

R. N. C. et P. Disparitas est, quod in casu objecto habeatur motivum proportionatum ad ingrediendam alterutram viam, licet ignoretur utra ex illis sit devia; quatenus melius est ingredi alterutram, etiam cum periculo errandi, quam semper hærere in bivio, cum certitudine nunquam ad terminum perveniendi; verum in casu thesis mens nullum habet motivum ad assentiendum veritati alterutrius istarum contradictoriarum, cum neutram ex iis apprehendat potius veram quam falsam; quod tamen requiritur ut habeat motivum proportionatum ad assensum.

INSTABIS 3.°

Atqui etiam in casu thesis potest mens habere motivum proportionatum ad assentiendum : ergo nulla disparitas.

P. S. Supponatur quod quis promittat mihi 1000. fl. ut assentiar uni istarum contradictoriarum; tali casu habebo motivum proportionatum ad assentiendum uni ex illis contradictoriis.

P. A. Tunc melius erit assentiri uni ex illis, quam neutri; ergo tunc habebo motivum proportionatum ad assentiendum uni ex illis contradictoriis.

Digitized by Google

P. C. In casu bivii habetur motivum proportionatum ad ingrediendam alterutram viam, propterea quod melius sit alterutram ingredi, quam semper hærere in bivio; atqui in casu thesis etiam tunc melius erit alterutri assentiri quam neutri; ergo habebit mens motivum proportionatum ad assensum.

P. C. a pari.

R. N. C. et P. Disparitas est, quod ut mens aliquid sive facultatibus suis, sive potentiis exterioribus corporis imperet, tantum requiratur et sufficiat, ut in eo imperio inveniat aliquam rationem boni; unde cum in casu objecto melius sit unam viam ingredi, quam semper hærere in bivio, potest mens istum ingressum imperare; sed motivum proportionatum ad assensum est sola ratio veri; jam autem isti 1000 floreni nequaquam efficiunt, ut una istarum contradictoriarum appareat magis vera quam altera.

THESIS SEXTA.

Propositio de se mendax seu difformis menti loquentis non potest reddi verax per restrictionem pure mentalem.

Restrictio *pure mentalis* est, qua propositio sola mente restringitur ad aliquem sensum, quem secundum se attentisque circumstantiis non habet; quod si restrictio signo aliquo externo vel per circumstantias se prodat, *realis* audit; ut si quis sciens Joannem in studiis philosophicis parum profecisse; subridendo dicat: *Joannes est insignis philosophus.* Restrictionem realem quod attinet, certum est eam excusare a mendacio: qui enim illa utitur profert propositionem, quæ simul cum signis externis conjuncta totum quoddam constituit menti ejus conforme; adeo ut si audiens forte ducatur in errorem, suum sibi erro-

Digitized by Google

rem imputare debeat. Verum id præstare nequit restrictio pure mentalis: quod enim mere internum est, non potest verborum significationem aut propositionis sensum immutare: atqui restrictio pure mentalis est mere interna; ergo non potest propositionem de se mendacem reddere conformem menti loquentis.

OBJECTIO I.

Propositio de se mendax redditur verax per restrictionem realem: ergo etiam per restrictionem pure mentalem.

P. C. Ideo redditur verax per restrictionem realem, quia per illam restringitur propositio ad sensum quem loquens habet in mente; atqui etiam sic restringitur per restrictionem pure mentalem: ergo etiam per hanc propositio de se mendax redditur conformis menti loquentis.

R. N. C. Cum enim restrictio illa sit mere interna et nullatenus manifestetur, propositionem restringere non potest ad sensum quem loquens habet in mente, nec potest naturalem ac obviam propositionis significationem immutare. Aliud est de restrictione reali; hæc siquidem externa est ac ejusdem rationis cum propositione, sicque non minus quam hæc menti nostræ aliis manifestandæ inservit.

INSTABIS I.°

Propositio est verax, dum redditur conformis menti loquentis; atqui propositio de se mendax redditur conformis menti loquentis per restrictionem pure mentalem: ergo propositio de se mendax per restrictionem pure mentalem redditur verax.

P. S. Propositio restricta pure mentaliter redditur conformis menti loquentis, dum quis sibi aut Deo loquitur: ergo etiam dum loquitur aliis hominibus.

Digitized by Google

R. N. C. et P. Disparitas est, quod in priori casu restrictio quantumvis interna innotescat tamen illi, ad quem sermo dirigitur: unde propositionem vere detorquet ad sensum quem alias haberet, scilicet ad illum quem loquens habet in mente; verum respectu aliorum hominum propositionem nullatenus afficit, cum ipsis nullo signo externo manifestetur; sicque propositio, ut ante, manet difformis menti loquentis, adeoque mendax.

INSTABIS 2°.

Restrictio realis interdum non plus audienti innotescit quam restrictio pure mentalis; atqui illa nihilominus reddit propositionem veracem: ergo et restrictio pure mentalis.

R. N. C. et P. Disparitas est, quod restrictio, eo ipso quo realis supponitur, sit externa, quæ proinde propositionis sensum naturalem et obvium immutat, talisque est naturæ, ut audiens in illius notitiam absolute loquendo devenire possit; sed restrictio pure mentalis omnino interna est, ita ut audiens nullum prorsus habeat medium illam detegendi; unde propositio eumdem, quem alias, sensum retinet.

INSTABIS 3°.

In bello sæpe struuntur insidiæ et adhibentur simulationes quas hostis omnino cognoscere nequit; atqui qui illis utuntur, non ideo censentur mentiri: ergo nec restringens pure mentaliter mentitur, quamvis audiens in restrictionis notitiam devenire non possit.

R. N. C. et P. Non enim insidiæ, prout voces ac propositiones, ad hoc institutæ sunt, ut per illas mentis conceptus manifestentur: unde si ista occasione hostis inducatur in errorem, id suæ imprudentiæ imputare debet, maxime cum cuilibet notum sit, in bello consuevissse parari insidias, quibus hostis decipiatur.

Digitized by Google

OBJECTIO II.

Confessarius quandoque excusatur a mendacio per restrictionem pure mentalem: ergo nulla thesis.

P. A. Suppone confessarium novisse ex sola confessione furtum Petri; tali casu confessarius interrogatus an sciat Petrum commisisse furtum, sine mendacio respondere potest *nescio*, subintelligendo *extra confessionem*; atqui hæc restrictio confessarii est pure mentalis.

P. S. Restrictio pure mentalis est, dum nullatenus manifestatur audienti; atqui, ut supponitur, restrictio confessarii nullatenus manifestatur: ergo est pure mentalis.

R. N. C. In lingua enim ecclesiæ illud *nescio* idem valet ac *nescio extra confessionem;* omnibus siquidem notum esse potest, confessarium in conversatione humana non aliter posse loqui quam secundum scientiam humanam, et nullatenus ex confessione; unde et ipse interrogans non censetur confessarium interrogare, nisi de rebus quas extra confessionem novit; dum ergo confessarius respondet se nescire, ad sensum interrogationis subintelligi debet *extra confessionem:* proinde quæ hic subest restrictio, vere realis est.

INSTABIS I.°

Atqui interrogatio non involvit hanc restrictionem *extra confessionem;* ergo nulla solutio.

P. S. Si hæc restrictio subintelligeretur in quæstione, confessarius mentiretur respondendo *scio*, cum extra confessionem nesciat; atqui respondendo *scio* non mentiretur.

R. D. S. Atqui respondendo *scio* non mentiretur, si expresse interrogetur ut confessarius et ipse significet se loqui ex scientia confessionis, concedo subsumptum: atqui respondendo *scio* non

Digitized by Google

mentiretur, si confessarius simpliciter interrogetur de furto Petri, et simpliciter respondeat se scire, nego subsumptum.

INSTABIS 2.°

Sappone tyrannum, intentata mortis pœna, exigere a confessario ut secundum scientiam confessionis respondeat; tali casu restrictio pure mentalis excusabit a mendacio.

P. A. Excusatur a mendacio, si habeat justam causam restringendi pure mentaliter; atqui confessarius in casu habet justam causam.

P. S. Non potest vitare mortem nisi vel restringendo pure mentaliter, vel revelando confessionem; atqui confessionem revelare nunquam licet; ergo justam habet causam restringendi pure mentaliter.

R. N. C. Sicuti enim confessionem revelare non potest, quia hoc malum est; ita nec pure mentaliter restringere potest aut quovis alio modo mentiri, quia hoc pariter malum est; nunquam enim sunt facienda mala ut inde eveniant bona.

INSTABIS 3°.

Quod alias mendacium foret, propter periculum cui confessarius exponitur, non amplius mendacium censeri debet : ergo nulla solutio.

P. A. In extrema necessitate ablatio rei alienæ non est furtum, licet tamen extra talem necessitatem furtum foret; ergo et restrictio in casu confessarii censeri non debet mendacium, licet forte alias mendacium foret.

R. N. C. et P. Disparitas est, quod bona temporalia jure naturæ ordinentur ad vitæ conservationem, qui finis tunc maxime obtinetur dum in extrema necessitate aufertur res aliena; neque hoc

Digitized by Google

casu dominus rei, quæ aufertur, rationabiliter invitus esse potest, quod tamen ad rationem furti requiritur; sed voces unice ad mentis nostræ conceptus manifestandos sunt institutæ, qui finis directe evertitur in restrictione pure mentali, supposito etiam casu extremæ necessitatis; quandoquidem etiam tunc restringens pure mentaliter proferat propositionem, quæ secundum receptam significationem est difformis ejus menti ac intentioni.

FINIS APPENDICIS.

Digitized by Google

Index Capitum

QUÆ IN HOC TRACTATU CONTINENTUR.

PARS PRIMA.

De cogitandi legibus maxime universalibus. Pag. 6

SECTIO PRIMA.

De Ideis.

CAP. I. *De natura idearum, illarumque objectis.* 7
CAP. II. *De formali idearum differentia.* 9
Leges de formandis ideis claris et distinctis. 10
CAP. III. *De materiali idearum differentia.* 11
Leges de usu idearum singularium, universalium, abstractarum et concretarum. 17
CAP. IV. *De idearum signis.* 19
CAP. V. *De definitione.* 22
Leges bonæ definitionis. 24
CAP. VI. *De divisione.* 27
Leges divisionis. 28

SECTIO SECUNDA.

De Judicio.

CAP. I. *De natura judicii et propositionis.* 29
CAP. II. *De variis propositionum speciebus.* 30
CAP. III. *De propositionum proprietatibus.* 34
CAP. IV. *De veritate et falsitate propositionum.* 41
Leges de dijudicanda propositionum compositarum veritate aut falsitate. 42

Digitized by Google

SECTIO TERTIA.

De Ratiociniis.

Cap. I. *De ratiocinio et argumentatione in genere.* 47
Cap. II. *De syllogismo simplici.* 49
Leges syllogismi simplicis. 55
Cap. III. *De syllogismo composito.* 56
Cap. IV. *De reliquis argumentationum speciebus.* 59
Leges legitimi dilemmatis. 60
Leges de legitimo inductionis usu. 63

PARS SECUNDA.

De cognitione veritatis.

Cap. I. *De indiciis veritatis et certitudine.* 66
Cap. II. *De sensu intimo.* 68
Cap. III. *De sensu naturæ communi.* 69
Fontes corrupti communis naturæ sensus. 72
Cap. IV. *De testimonio sensuum externorum.* 74
Cap. V. *De auctoritate.* 77
Cap. VI. *De evidentia.* 79
Characteres veræ evidentiæ. 80
Cap. VII. *De scientia, ejusque diversis speciebus.* 81
Cap. VIII. *De probabilitate et opinione.* 83
Leges contingentium. 86
Cap. IX. *De fide.* 88
Regulæ criticæ circa veracitatem testis. 89
Regulæ criticæ circa rei notitiam. 91
Regulæ communes. 92
Cap. X. *De methodo inveniendæ et communicandæ veritatis.* 95
Leges demonstrationum. 99
Cap. XI. *De interpretatione et lectione librorum.* 102
Leges interpretandi. 103
Cap. XII. *De errore, ejus fontibus et remediis.* 106
Errorum causæ. 108
Cap. XIII. *De concertatione litteraria.* 113
Leges concertationis litterariæ. ib.

APPENDIX *Thesium ad Logicam spectantium.* 115

FINIS INDICIS.

Digitized by Google

Apud Typographum hujus operis pr

Historia et Concordia evangelica, in-8.°, (cum tabula Terræ Sanctæ), Mechl. 1819.

Biblia Sacra, 8. vol. in-12.°, Lovanii 178

Memoriale vitæ sacerdotalis, Libellus ve authore pio sacerdote. Adduntur preces ante lebrationem Missæ recitandæ, preces agonisa mula benedictionis apostolicæ etc., in-12.° M met frontispice.

Sapientia christiana, 2 vol. in-12.°, M authore *Memorialis vitæ, etc.;* Preces ante sam, in-18°., Mechl. 1819, per eodem au

Nova collectio Synodorum Mechl. Episto toral. ac variarum decret. Archiep., in-8.°

Tractatus de Metaphysica, in-8.°

Tractatus de Ethica, in-8.°

Tractatus de Deo et de Religione natura Alumnorum Seminarii Archiepiscopalis Me in-12.°, 1810.

Tractatus de Religione revelata, ad usum Seminarii Archiepiscopalis Mechl., in-12.°

F. T. Dujardin, de officio Sacerdotis, qu medici in Sacramento Pœnitentiæ instructio gratiam et commodum tyronis Theologi, in- 1816.

Catechismus de Tonsura, in-12.° Mechl

Catholyke onderwyzingen op den Meche techismus, doór M. Huleu, 5 deelen in-12

Manuale theologicum, continens definitio siones Theologiæ universæ, depromptas è selectis R. A. D. Petri Dens, editio nova, i chliniæ 1816.

Imitatione (Thomas à Kempis de) Chri Mechl.

Ritus sacri a Sacerdotibus aliisque altar servandi, etc.; in-18.° Mechl.

Antiphonale romanum, in-8.°

Graduale romanum, in-8.°

Bona, de Sacrificio Missæ in-18.

Digitized by Google

ıjus operis prosa-

gelica, in-8.°, ed

, Mechl. 1819.

, Lovanii 1788.

s, Libellus vere

ur preces ante et

preces agonisantiu

c., in-12.° Mechl.

in-12.°, Mechl.

Preces ante et po

r eodem author.

Mechl. Epistolaru

ep., in-8.°

-8.°

one naturali ad

opalis Mechlini

ad usum Alumn

in-12.°, 1812

lotis, qua judi

nstructio brevi

logi, in-12.° M

o Mechl.

n Mechelschen

en in-12.°

lefinitiones et

mptas è tract

nova, in-

) Christi, i

e altaris Min

Digitized by Google

Apud Typographum hujus operis prostat:

Theologia ad usum Seminario rum, auctore Rev. ac Erud. D mino P. DENS, *Seminarii Mech Præside, etc. etc. Editio octava tam auctior et emendatior.* 1819. 7 vol. in-8°. cum ch toris.

In hac editione plure lationes Scripturæ S Tridentini, S. Th alias editiones irr emendatæ sunt Scripturæ Sac penitus omissi lati, integri sunt passim errores derunt utilia cujusq ac d

V
de
pos-
est
res
m tomis

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google